IHS

per me reges regnant

B. Ei Ap. 1675.

EXAMEN

confessionis fidei Caluinianae quam Scotis omnibus Ministri Caluiniani subscribendam et iurandam proponunt

An rectius, propter innumeras veras fidei detestationes Catholicae fidei Confessionem nocemus

Ad Inuictissimum potentissimum Scotiae Regem IACOBVM VI

Auctore Reuerendissimo Dom. D. GVILELMO CHEISOLMO Scoto Episcopo Vasionensi

AVENIONE
Apud Iacobum Bramereau
1601

AAC. e. 24

EX BIBL. UNIV. ... BURGEN

SERENISSIMO

SCOTORVM REGI IACOBO SEXTO.

SI quantum (Rex Sereniſſime idemque Inuictiſſime) maiorum tuorum gloriæ ampliſſimis virtutibus,

quantũ regno patrio fœlicitate ingenij accumulas: non etiã tãtundẽ neſcio quæ tẽporibus tuis inuida, nobis autẽ inimica fortuna detraheret: nuſquam certe Regis vlli° nomẽ illuſtrius, nulla noſtrorũ hominum ſpes beatior, aut optabilior Scotorũ cõditio extitiſſet. Verũ cùm excellẽtiſſima rerũ duarũ ſucceſsione Scoticũ Regnũ triũphet: Regij ſanguinis: qui per Principes centũ & ſeptẽ continuatus, in te liberorũq; tuorũ ſpe conſiſtit. Et Chriſtianæ Religionis: quæ per octoginta Reges beatiſsime producta, nõ tã in matre tua, quàm cũ ipſa primũ defecit. Non poſſumus certe non ſummo cũ dolore huius tanti prioris ornamẽti direptionem & interitũ cogitare. atq; hoc etiam à rationis & naturæ initijs profectam cogitationum noſtrarũ auget ægritudinẽ: quòd ſapientiſsimã Reginam matrem tuã ita recordamur toto animo perhorreſcere ſolitã: ne perturbatis ciuium

Regis ſangui. 1

Chr. religio. 2.

uiũ animis, extincta siue distracta concordia, neglecta Principis reuerẽtia, & dissipato Dei cultu, Religionis occasum imminentem, regni simul & imperij lapsus, atque adeo interitus sequeretur. Scimus quidẽ te vix dũ nato conuulsum fuisse regni statum: vim atq; arma perfida contra matrem, contra infantẽ valuisse: in sinu fallentiũ, & falsorũ custodia educatũ, cũ matre dolorũ acerbitatẽ esse expertum: adeo nolentem paßũ tuos esse miseros. ita te culpa liberam°, vt tãtis hominũ malis ni auertendis, at tollendis natũ, & diuina prouidẽtia conseruatũ iudicemus. Tui hæc (quæ misera) sũt honoris & famæ seges. Satũ est cũ lachrymis vt metas cũ gaudio, hæc gloriæ tuæ sors, hoc peculiũ dignitatis, ut præsentes posterique omnes intelligant, ñec fortius ab vllo quàm à te tanta mala ferri, nec lata sapientius potuisse auferri. Glorioßimum omnes &

P.P. Spes. *Lætissimum speramus diem, quo per te in antiquum se statum & patrum nostrorum religionem restitutam Scotia nostra videbit: quo perpetuis Dei ad te, tuis ad Deum laudibus personare templa audiet: remeare in tuam insulam patriæ decora, litari rursum pro Regia Maiestate, certatim ad te Reges, Respublicas, populos omnes literas, legatos mittere, dexteram, fœdera, prudëtiam, exposcentes tuam.*

Nec vlla vicibus surgat alternis dies
Quo non propinqui munera ad vestros lares
Sceptri redundent.

Hæreditaria profecto generis tui possessio pietas, splendidum sceptri tui ornamentum Religio. Antecessorum tuorum Regum institutionem, gloriam, leges intuere, & conseruatricem, custodemque regni tui pietatem maiorum require. Reperies profecto Scotorum reges cũ primis

primis Christi fidem amplexos, omnium certè constantißimè retinuisse. Donaldus anno ducenteſimo poſt natum ſalutis noſtræ reparatorẽ Victoris Romani Pontificis Legatos, benigne ſuſcepit, fidem accepit: & quam noſtri exhorrẽt nouatores crucem amplexus, numiſmatis iuſſit inſculpi: vt quem ſpiritalem agnoſcebat redemptorem, ciuilis etiam teſtaretur mercatus. Achaius cũ Carolo magno ſacrorum communionem appoſito ciuili fœdere firmauit: eam maiores tui Reges cùm ad nos traduxißent intactam, te adhuc puero, retento (gloriam tuam forte veriti) ciuili fœdere ciues noſtri impiè & temerè violarunt. Kennethus quem, occiſo contra ius gentium patre (vti eſt ab Anglia detruncata mater tua) fecit tibi iniuria ſimilem, te faciat, precor, virtus ſuperiorem: conſtituta fortuna, armata manu, regnum hæredi, mortuo qui reddi poteſt

Donaldus.

Achaius.

Kennethus.

R. Brucius honorẽ reſtituit. Robertus Brucius, familiæ tuæ caput, cùm Eduardus Angliæ Hyperbole Rex trecẽtis fere armatorũ millibus ſuperbus, pauculis noſtris copijs inſultaret, hæreditaria armatus pietate, afflictas res noſtras, & deploratã reipub. faciẽ, quam adhuc poſteri pertimeſcunt, fortiter ita reſtituit: vt precando nocte traducta, milite ſacra confeſſione expiato, diuinis myſterijs, & ſacro corpore Chriſti recreato, hoſtibus in terrorem perculſis, is dies factus initiũ diuturnæ ſalutis fuerit, quem omnes vltimum expectabant ſalutis. Sed ne te, & doctum & ſapientem vetera remorentur. Heroina illa mater & tutelaris tua, cuius in Deũ fides & conſtantia poſterorum volumina completura, iã totum Orbẽ impleuit: cõmouere, inquam, præter cæteros debet animum tuum, quæ pectora etiã effodit externorum. Hæc à Deo defectionẽ fugiens, ne

Mater.

tradi-

traditorũ ſibi à maiorib⁹ ſacrorũ amiſſionem pateretur, & primã Scoticorum Principum Deo datã fidẽ violaret: regno cedendũ, õni cultu, honore, vitæ fructu & ad extremũ vita ipſa carendum putauit. Verũ certe hoc regnum cenſuit: regales virtutes, & regni decora retinuiſſe, cultum & honorẽ: virtutis exẽplũ vniuerſo mundo prodidiſſe ſtupẽdũ. vitæ fructũ opimũ: impẽdẽtẽ Regno tuo diuini numinis irã, diuturna ſua calamitate depuliſſe. verã deniq; vitã: laureatã per glorioſiſſimũ rerũ omniũ triũphum ad æternũ ſui Chriſti thalamum traduci. ita ſtipendia ſoluit munificentiſſimus Deus, ita dominatur hoſtibus ſuis in brachio forti & extento. Quod vtinã in ſalutem (Rex Sereniſſime) potius exerceat tuã quam in ſcelera noſtra nobilitet. Continebit (ſpero, ſperãtq; õnes) irã, qui beneficia nõ cõtinuit. Quippe, quod nulli hactẽn⁹ regno, nulli

contigit Principi, id tibi, id regno tuo liberalissimè contulit. regno, quòd in an- 1.
2000. num bis prope millesimum integris viribus propagatum veneremur. Tibi, 2
quòd per tantundem ætatis, perq; Reges continuos perpetua serie traducis
Fergusius 1. genus. à Fergusio. n. qui trecentesimo fere & trigesimo anno ante Christum natum primus in potentem familiam suam Scoticum Sceptrum inseruit, nunquam se externus, nunquam plebeius huic regno se immiscuit. Vixit semper tuum regnum suis Principibus & legibus, Principes regno legique constanter vixerunt. in te vno vt in stirpe semina, x
tot heroes, tot Reges quot duorum fere annorum millibus Septentrio noster admiratus est, inclusi continentur. O infidam rerum humanarum & fluxam conditionem! ea ipsa tutelaris tanti regni
Religio religio, alumna Regij sanguinis alma
+ pietas, in te (REX) primum (parce obsecro,

ſecro, & ſupplici, & ſubdito & Epiſcopo vera dicenti) te regnante vel receſſit, vel à nobis deceſſit. Si receßit, in gloriam id factum tuam; ſi per te reuocata, nouũ tibi adferat auſpiciũ fœlicitatis. Sin eam ſors tibi inuida, nobis infeſta ſuſtulit, at omen auertat Deus, & auertes tu quoque DEPVLSOR MALORVM, *quod tibi deſponſum cœlitus (vti ſperamus) nomen, & ſepelies triſtem hanc rerum & infauſtam acerbitatem. Nec ſe ipſa diutius cohibeat, quam cohibere nemo poteſt virtus tua. Intuere obſecro (Rex clemẽtiſſime) tot liberos tuos (ſic ſubditos appello) qui*

» Feſſi corpore, & morbo graues
» Semianima trahunt corpora,

Orbe toto miſerè oberrantes, & Miniſtrorum tuorum crudelitatem oſtentantes, te omnes reſpectant, & (ſi quæ detur in patria facultas) quod reſtat animæ & ſpiritus ſub tuo nomine & imperio

perio profundere ſtudent. Audi ſuſpiria ſingultuſque innocentiũ, qui repugnante conſciẽtia & reluctante, domi & foris Miniſtrorum inſolentiſſima dominatione contabeſcunt. Subeat mentem inſontiſſimus ſanguis, cui tuus quoq; mixtus foret, niſi Deus tanti te mali vltorẽ & ad demetendam è malis gloriam reſeruaſſet. Ad te manus tendimus ſupplices. Eſto tu nobis, obſecramus, alter emorienti Chriſtiano populo Conſtantinus, afflictæ & deperditæ Africæ Iuſtinianus, deplorato Dei populo rediuiuus Sampſon, Occidentis Imperio Carolus: vt auita & auide expetita tempora à te incepta reuocentur, & merito numerentur, per te mortua reuiuiſcant, aut amiſſa redonentur. Ego certè pro humilis amantiſſimique officio ſubditi affero & Maieſtati tuæ offero Examen eius confeſſionis fidei, ad quam ſuſcipiendam, & iurciurando confirman-

mandam Scotos omnes, ſubditos tuos
Miniſtri compellunt importunè: impo-
ſitiſque ſeueriſſimis pœnis retinere co-
gunt: lãguentibus multorum animis a-
liquod ſaltem ſolatium, & ad tuam
gloriam non leue credo momentum al-
laturum. quod ſi tranquille legeris, non
tam Miniſtrorum confeſſionem, quàm
abnegationem fidei & confuſionem
meram agnoſces. nihil præter errores,
fallaces impoſturas, blaſphema in Ca-
tholicum ſenſum mendacia continẽtem.
In quo non fuit mihi labor, ſumma fidei
capita (quod iam innumeri præſtite-
runt) explicare: ſed paucis, veluti di-
gito indicare hoſce fidei effictos articu-
1. los à ſacris ſcripturis & priſca Sancto-
2. rum patrum doctrina toto cœlo diſce-
dere. Quod meum munus etſi leuiden-
ſe, ſi, qua ſoles (Rex Inuictiſſime)
fronte ſuſceperis, ſimul eorum animum
laudabis qui extrema quæque pati ma-
luerunt,

luerunt, quàm in tam inanem & falsam confessionem iurare, & in posterum ne quis seuerius compellatur sanctes. Vale & fœliciter regna.

Deuotissimus orator

Gulielmus Cheysolme Episcopus.

AD LECTOREM
MONITIO.

ante annos 29 Chamo. 1580.

PRodijt non ita pridẽ (amice lector) à Scotiæ nostræ Ministris emissa Confessio (dicam verius) cõfossio fidei. Nullo sancti spiritus dictamine nata, nec sanctissimæ Trinitatis, Christi redemptoris, per quẽ ad Deum accedimus, diuinorum mysteriorum, quibus sacra participamus miranda, fidei nostræ summa capita aut Ecclesiasticam Oeconomiam complectens: sed ab insanorum hominum animi sui cupiditatibus omnia dimetientium insania profecta: diris, execrationibus, abiurationibus sanctum & Catholicum sensum aspernantibus

tibus referta. Quibus non Dei gloriam aut populi ciuiumque ſuorum inſtitutionem ſalutarem, ſed Catholicæ veritatis odiũ fuiſſe propoſitum, ſatis eæ probant quibus continuo vtuntur, non confitentium ſed furentium voces. *Abhorremus, execramur, deteſtamur vniuerſam doctrinam Antichriſti, Papæ, ſanguinolenti Concilij Tridentini, vſurpatam, corruptam, tyrannicam, erroneam, ſpuriam, illegitimam, falſam, crudelem, blaſphemam, diabolicã, deſperatam, ſuperſtitioſam, ſanguinolentam.* Adeo hæc fidei ſumma eſt, Deus immortalis! non vitia ſed Papam deteſtari! Hæc iam nouæ Eccleſiæ diſciplina increbuit: hoc vnum Chriſtianorum vinculum, hæc fidelium ſola compago, hoc repetitum à Chriſto exemplum, (qui vix feris mos eſt) trudere ſe

inui-

cem, trudique. Et quo poteſtatem magis intelligas quàm fallendi artem animumq; defuiſſe, tabificum hunc liuorē & male natum ingenij virus ſpecioſo Confeſſionis fidei titulo concluſerunt, & quaſi mixtum mulſo venenum, odia ſua ſub pietatis ſpecie plaudenti populo & gaudenti propinarunt. ita *Credo*, *Confiteor*, in horrenda hæc & immania. *Diffiteor*, *abnego*, *abominor*, cautè commutarunt: & prima hæc fidei ſuæ eleméta, hæc vltima ſapientiæ Chriſtianæ complementa ſtatuerunt. Et ſi forte primam in nos tanti odij causā quæras: ab inſolita Miniſtrorum in Scotos, & impotēte dominandi libidine aut ſuperbia profectam, miſera ſimul nobiliū plebiſque ſeruitute ita natam accipe. Seniores noſtri frequenter,

& cum lachrymis, queri ſolét: immutatam Reip. faciem, priſtinũq; patrum ſuorum ſtatum requirere: quo cũ Romano & Catholico more, vero cultu vero Deo ſeruiretur, cernebant in iuuenibus & adoleſcentibus modeſtiam & verecundiam: in viris iuſtitiam & fidem: in ſenibus cum authoritate probitatem: in omnibus æquè agnoſcebant pietatem & pacem. Colloquiá pia, ſuaues animi affectus, preces, orationes, auxilia miſericordiæ tum fuiſſe popularia: Iam mutata conſuetudine, vitijs paſſim corrũpi iuuentutem: perfidia delectari virilem ætatem: libera voluptatum libidine inundare ſenes: adeo prima ſpe deluſos, vt libertas Euangelica, immunitas Decimarum, ſuauitas & veritas Euangelij quá noui hi Magiſtri

giſtri oſtentabant, vitrea penitus ſit inuẽta, in medijſque manibus dirupta, aculeos hoſce infixerit: atroces inimicitias, bella pluſquã ciuilia, cædes, perfidiam, templorum monimẽtorum direptiones, humani & diuini Iuris confuſionem. Tandem mutato, vel verius, euoluto genio, ſacrorum hi domini excõmunicationibus & Eccleſiaſticis cenſuris, pro libertate populi (ſi Dijs placet) infeſti, eaſdẽ ipſi ſibi mordicus vẽdicarunt: cõtra quos ſi vel mutias *flammam Iouis & ſonitus minitãtur Olympi*. Nec tam diuina pertimeſcenda putarent, ni etiam humana vſurpaſſent. Nam qui intra quadrageſimũ diem minitantibus præſto non fuerit, & in hanc fidei cõfeſſionẽ iurauerit; bonis fiſco addictis, exulem abire miſerè cogũt.

Decimæ (quarum expectabatur immunitas) ſeuerius & crudelius quàm antea vnquam exiguntur: nec (vt patrum memoria ſacerdotes) ſoli Miniſtri, ſed & horum fęcunditas toleranda eſt. alenda vxor, collocandæ filiæ, totumque Pátheō ſacratę prolis ſumptibus, apparatu, ceremonijs eſt inſtruēdum. Hunc ex Seniorū iuſtis querelis, quæ etiam adoleſcentum animos audiendo percellunt, natum timorem dum ſtudent depellere: inter ardentes cupiditates metumque dubij, mulierculas ſuas & opes amplexati, fugientes haſce Tátali aquas dum retardare conantur, dignum artificibus, effinxerunt Antichriſtum (*Spectatŭ admiſſi riſum teneatis amici*) vngues tigridum, dētes aprorum, iubam leonis, caput geſtantem draconis,

Antichriſtus

vngu-

vngulas etiam, quibus feriat credo, addũt equinas. Hanc illi machinam Papam indigetauerunt: cuius aſpectu expaueſcunt pueri, voces ingeminant mulieres, vulgus attonitum perhorreſcit. Hoc ritu diſpoſito populo, ſacra Miniſtri operãtur, deteſtationes haſce fidei ingeminant, diras occinunt. hæc Miniſtrorum ars, hæc fraus: hac induſtria noui Euãgelici veritatem & libertatem conãtur opprimere. vbi populum (natura ſatis perſpicacem) auitæ & paternæ ſapientiæ vidẽt retinẽtiorem; nec ita facile abiurationũ retibus irretiri: ſtomachantur, & ad arma cõcurrunt furibundi. ſic mali huius labem primam inuſſerunt: Nondum enim nato noſtro rege iam fæliciter ſuperſtite, cum populus cuius adhuc erat inconcuſſa reli-

gio

gio, nobileſque ſpectata virtute, & inſigni alacritate, ingruentē hāc cladē pellere conātur. Nouatores hi ad Anglos profugi, claſſem impetrant, externæque gentis copijs muniti, patriam prædātur: Reginam produnt. ita patriæ euerſione, Regum impia proditione, humanorum & diuinorum commixtione fūdatum imperiū, paribus incrementis induſtriæ & diligentiæ adauxerunt: adeò iam Regi importuni (ne dicam minitantes) fouent & tuentur. Nos certe miſeros, hoc ſuo regno ſuperbi, hoſtiliter terra & mari proſequuntur. Hunc (Lector) Miniſtrorum ingreſſum & progreſſum, vel hoſpitem & externum ſcire volui, vel ciuem recordando deuitare. Nunc ſcriptionis meæ cauſas diſce. Cum hanc nō tam fidei con-

confeſſionem quam horrendum carmen legiſſem. & altũ in re tam periculoſa noſtrorum hominum ſilentium perpendiſſem: tandem agnoui, multos ad exteras gentes vel fugere compulſos, vel ſponte immanem Miniſtrorum barbariẽ fugientes ſolatia quęſiuiſſe. ita vel otium hoſpitibus defuiſſe, vel ſi qui honeſtum ſũt adepti, vti belluinam & cum rerum principijs pugnantem Confeſſionem cõfutatione indignam cenſuiſſe. Sed cũ occæcatis ignaræ plebis mentibus magis magiſque labẽ hanc illabi vidiſſem. operæ me facturũ pretiũ putaui, ſi quos aduerti maioris momenti articulos, non tam refellam, (quod erat maioris induſtriæ, & iam exactum à multis opus) quam indicem, appoſitis ſcripturæ & ſanctorum patrũ

quos

quos etiam ipsi probant Ministri testimonijs, à recta Confessionis via & veritate discedere. ideo neglecta orationis vbertate, & subtiliori rerũ examine, quod aures posset capere doctiorum: populari dictionis forma Doctorem induxi Catholicum, Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam citra contumeliam, qua (vt Christianũ decet) penitus volui carere, Ministri articulis clarè opponentem & eandem confirmantem. Tu, si noster es, æqui precor, bonique consule: sin aduersæ partis: non prius condemnes, quàm seposita omni animi atrocitate, singula Confessionis tuæ capita cum nostra Cõfessione fidei & patrum Eccliæ testimonijs contuleris. Vale.

CON-

CONFESSIO RELIGIONIS ET FIDEI QVAM MINISTRI CALVINIANI SCOTIS SVBscribendam proponunt, Idiomate Scotico conscripta.

An schort and generall confessiõ off ye true Christian faith and religion, according to Gods vvord, and Acts off Parlement, subscriued by ye Kinges Maiestie and his household, vvith sundry others, to the glory off God, and good example off all men. At Edeburg ye 28. off Ianuarij, 1580. and 14. yeare off his Maiesties Reigne, id est.

Breuis & generalis Confessio Christianæ Religionis, secundum Dei verbum & acta Parlamentorum: subscripta à Regia Maiestate, eiusque familia, & diuersis alijs: ad Dei gloriam & bonum exemplum omnium. Edenburgi 28. Ianuarij, anno Domini 1580. & Regni eius, 14.

VVee all and euery one off vs vndervvritten proteſt, that after lõg and duë examination off our conſciẽces, in matters off true ãd falſe religiõ: are novv thoroughly reſolued in the trueth, by the vvord ãd ſpirit off God: and therefore vvee beleue vvith our hartes, cõfeſſe vvith our mouthes, ſubſcribe vvith our handes, and conſtantly affirme before God and the vvhole vvorld: thad this only is the true Chriſtian religion pleaſing God, and bringing ſaluation to men vvhich is novv (by the mercy off God) reuealed to the vvorld, by the preachīg off the bleſſed Euangile: and receyued, beleued and defẽded by many Churches and Realmes. but chiefly by the Churche off Scotland, the Kinges Maieſtie, and the three eſtates off this Realme, as Gods eternall trueth, and only ground off our ſaluation: as more particularly is expreſſed in the confeſſion off our faith, ſtablished and published, and confirmed by ſundry actes off Parlement: and novv off à long time hath bin

bin openly profeſſed by the Kinges Maieſtie, and hole body off this Realme, both in borough and land. To the vvhich confeſſion and forme off Religion vvee vvillingly agree in our conſciẽces in all points, as to Gods vndouted trueth and veritie, only grounded vpon his vvritten vvord. And therfore vvee abhorre and deteſt all contrary religiõ ãd doctrine: bot chiefly, al kind off Papiſtry, in generall and particular heades: euen as they are novv condemned and cõfuted, by the vvord off God and Church off Scotland. But in ſpeciall vvee deteſt and refuſe the vſurped
1. auctority off that Romane Antichriſt, vpon ye ſcripture off God: vpon the
2 Church: the Ciuill magiſtrat: and conſciences off men. all his tirannicall la-
2. vves made vpon indifferent thinges, a-
gainſt our Chriſtian libertie. his erro-
3 neous doctrine againſt the ſufficiency off the vvritten vvord: the perfection off the lavv, the office off Chriſt, and
4 his bleſſed euangile: his corrupted doctrine concerning original ſinne: our

naturall inhabilitie and rebellion off
3. Gods lavve: our iuſtification by faith
4. only: our imperfect ſanctification and
5 obediēce to the Lavve: the nature, nō-
ber and vſe off the holy Sacramentes:
6 his fiue baſtard Sacraments, vvith all
his rites and ceremonyes, and falſe do-
7. ctrine added to the miniſtratiō off the
8. true Sacraments, vvith out the vvord
off God. his cruell iudgement againſt
infants departing vvith out the Sa-
9. cramēts: his abſolute neceſſitie off bap-
tiſme: his blaſphemous opiniō off trā-
10. ſubſtantiatiō, or real preſence off Chri-
ſtes body in the elemēts, and receiuing
off the ſame by the vviket, or bodyes,
11 off men, his diſpenſations vvith ſolēne
othes: periuries, ād degrees off mariage
12 forbidden in the vvord, his cruelty a-
gainſt te innocent deuorced: his diueli
13 ſh Meſſe; his blaſphemous prieſthood:
14. 15. his profane ſacrifice for the ſinnes off
16. the dead and the quik, his Canoniza-
17. tion off men: calling vpon Angels or
ſaincts departed: vvorshipping off
18. images, reliques and croſſes; dedicatiō
19.

off

off Churches, altars, dayes, vovves to creatures: his purgatory: prayers for the dead: praying or ſpeaking in ſtrãge language: vvith his proceſſions, and litanies and multitude off aduocates and mediatours: his manifold ordeors: and auricular confeſſion: his deſperat and vncertaine repentance: his general and doubtfull faith: his ſatisfaction off men for their ſinnes: his iuſtificatiõ by vvorkes: his opus operatum, vvorkes off ſupererogation, merites, pardons, peregrinations, and ſtations: his holy vvater: baptiſme off belles: coniuring off ſpirites; croſſing, ſayning, anoynting, cõiuring, hallovving off Gods good creatures: vvith the ſuperſtitious opinion ioyned therevvith: his vvordly monarchy: ãd vviked hierarchie: his three ſolẽned vovves: vvith all his cheuelinges off ſundarie ſortes: his erroneous ãd bloudy decretes made at Trent. vvith, all the ſubſcribers ãd approuers off that cruel and bloudy band, coniured againſt the Church off God: ãd finally vvee deteſt all his vayne

allegoryes rites, ſignes and traditions, brought in the Church vvithout, or againſt the vvord off God, and doctrine off this true reformed Church. to the vvhich vvee ioyne our ſelues vvillingly, in doctrine, faith, religion, diſcipline, and vſe off the holy Sacramentes: as liuely members off the ſame in Chriſt our head. Promiſing and ſvvearing, by the great name off the Lord our God, that vvee ſall continue in the obediēce off the doctrine and diſcipline off this Church, and ſhall defend the ſame (according to our vocation and povver) al the dayes off our liues: vnder the paynes contained in the lavv, and daūger both off body and ſoule, in the day off Gods fearfull iuggemēt. And ſeing thad many are ſtired vp by Sathan and that Romane Antichriſt, to promiſe, ſvveare and ſubſcribe: and for a time vſe the holy Sacraments in the Church deceitfully, againſt theire ovvne conſciences: meaning thereby firſt vnder the external cloke off religion vvithout the Church, and aftervvard vvhen

Juſurandum ſanctiſſimum.

Cautio contra Hypocriſin.

vvhen time may ſerue, to become opē enemies and perſecutours off the ſame, vnder vaine houpe off the Popes diſpenſatiō, deuiſed againſt the vvord off God, to his greater confuſion, and their dubble condemnatiō, in the day off the Lord Ieſus. VVee therefore vvilling to take avvay all ſuppitiō off hipocriſy, and off ſuch double dealing vvith God and his Church. Proteſt and call the ſearcher off all heartes to vvitnes: that our mindes and heart do fully agree vvith this our confeſſion, promiſe, othe and ſubſcription. ſo that vvee are not moued for any vvordly reſpect: but are perſuaded only in our cōſcience, thorovv the knovvledge and lavv off Godis true religion, printed in our hartes by the holy Spirite, as vvee ſhall anſvveare to him in the day, vvhen the ſecrets off als harts ſhal be diſcloſed. And becauſe vvee perceiue that the quietnes and ſtability off our religiō and Church, doeth depend vpō the ſaffety and good behauiour off the Kinges Maieſtie, as vpon a comforta-

iterata iurandi religiosa satisfactio.

ble instrument off Godes mercy, granted to this Countrty, for the maintenãce off his Church and ministration off Iustice among vs: VVee protest and promise vvith our hartes, vnder the same othe handvvrit and paynes, that vvee shall defend his person and authority vvith our goodes, bodyes and liues, in the defence off Christis Euangele, liberty off our Country, ministration off Iustice, and punishment off iniquity: againſt alle enemyes vvithin the Realme or vvithout, as vvee desire our God to bee à strong and merciful defendour, in the day off our death, ãd commning off our Lord Iesus. to vvhome vvith the father aud holy Spirite bee alle honour and glory eternally.

EA-

EADEM CONFESSIO LATINE, AD VERBVM.

NOS omnes & singuli subscripti protestamur, quòd post longam, & debitam, examinationem nostrarum conscientiarum, in rebus veræ & falsæ religionis, sumus nunc penitùs persuasi in ipsa veritate, per verbum & Spiritum Dei. Propterea corde credimus, ore confitemur, manu subscribimus, & constanter affirmamus, coram Deo & vniuerso mundo: quod ista sit sola vera fides, & Christiana religio: Deo grata, & homini afferens salutem: quæ nunc per misericordiam Dei mundo est reuelata per prædicationem Sancti Euangelij: recepta, credita, & defensa, à multis Ecclesiis & regnis, & præsertim ab Ecclesia Scotica, Regis Maiestate, & tribus ordinibus huius regni, tamquam æterna veritas Dei, & vnicum fundamentum nostræ salutis, vt particularius exprimitur, in Confessione fidei nostræ publicata & confirmata,

per diuersa acta parlamentorum, & quæ iã diu publicè à regia Maiestate & vniuerso regno probata est, tam in ciuitatibus quam pagis. Cuius confessionis & formæ religionis omnibus articulis voluntariè in conscientia assetimur, vti indubitatæ veritati Dei, fundatæ in solo verbo scripto. Et ideo omnem contrariam religionem & doctrinam detestamur. & præcipuè omne genus Papismi in genere, & in specie: vti iam est confutatum & condemnatum per verbum Dei & Ecclesiam Scoticam. Sed speciatim detestamur & reijcimus vsurpatam Romani illius Antichristi auctoritatem supra Scripturas Dei, Ecclesiam, ciuilem magistratum, & hominum conscientias. Omnes eius tyrannicas leges de rebus indifferentibus latas contra nostram libertatem Christianam: Eius erroneã doctrinam contra sufficientiam verbi scripti: perfectionem legis: Officium Christi, & Sacrosanctum eius Euangelium: corruptam eius doctrinam de peccato originis: naturali nostra rebellione contra Dei legem: ad eam adimplendam inhabilitate. contra iustificationem ex sola fide: imperfectam nostram sanctificationem: & obedientiam legi. de natura

tura, numero, & vſu ſanctorum Sacramentorum. deteſtamur pariter quinque eius ſpuria Sacramenta: omnes eius ritus & ceremonias: falſam eius doctrinam, verorum Sacramentorum miniſtrationi ſine verbo Dei additam: crudele eius iudicium contra infantes ſine Baptiſmi Sacramẽto mortuos: abſolutam eius neceſsitatem Baptiſmi: blaſphemam eius opinionem de tranſſubſtantiatione, vel reali præſentia corporis Chriſti in elementis: receptioneque eiuſdem per improbos, ſeu corpora hominum: eius diſpenſationes ſolemnium iuramentorum: periuria, & gradus affinitatũ in matrimonio verbo prohibitos: eius crudelitatem contra innocẽtem repudiatam: diabolicam eius Miſſam: eius blaſphemum presbyterium: profanum eius ſacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum: eius in canonem redactionem, ſeu canonizationem hominum: inuocationem angelorum vel ſanctorum vita functorum: cultum imaginum, reliquiarum, & crucis: dedicationem Eccleſiarum: altarium, aut dierũ: vota creatis rebus facta: eius purgatorium: orationes pro defunctis: orandi & loquendi formam lingua peregrina: ſimul eius proceſſiones,

siones, & blasphemas lytanias: multitudinẽ aduocatorũ seu intercessorũ: varios seu multiplices eius ordines: auricularẽ confessionem: seipsos castigãtes: desperatã eius & incertam pœnitentiam: eius generalẽ & dubiã fidẽ: satisfactionẽ hominũ pro peccatis: eiº iustificationem operũ: eius opus operatum: opera supererogationis: merita: indulgentias, peregrinationes, & stationes: aquã benedictã: ritũ baptizãdi cãpanas: coniurationẽ spirituũ: signationes cruce: benedictiones: vnctiones: cõiurationes: benedictiones rerũ bonarũ à Deo creatarum, cũ superstitiosis cõiunctis opinionibus: mundanã eius monarchiã, & impiã Hierarchiã: tria eius solẽnia vota: & diuersi generis tõsuras: erroneũ eius & sãguinolentũ decretũ Tridentinũ: omnes subscriptores, & approbatores, cũ credeli & sanguinolẽta illa societate, contra Ecclesiam Dei coniuratos. denique detestamurõnes eius vanas allegorias, ritus, signa, & traditiones in Ecclesiã introductas, aut sine verbo, aut cõtra verbũ Dei, doctrinãq; reformatæ huius Ecclesiæ. cui nos sponte & volũtariè accedimus in doctrina, fide, religione, disciplina & vsu sanctorum Sacramẽtorũ: vt viua eiusdẽ in Christo nostro mẽbra

bra. Promittimus & iuram⁹ per magnũ Dei nostri nomen perseueraturos in obediẽtia, doctrina & disciplina huius Ecclesiæ, eandẽq; õnibus vitæ diebus iuxta vires & vocationẽ nostrã defensuros, sub pœna legibus expressa, & animæ & corporis dãnatione in die tremẽdi iudicij. Et cũ cõstet multos à Sathana & Romano illo Antichristo suscitatos, promittere, iurare, subscribere & pro tẽpore fraudulẽter vti Sacramẽtis in Ecclesia cõtra proprias suas cõsciẽtias: existimãtes primũ sub externo hoc religionis velo in Ecclesia, inde tẽpore opportuno apertos Ecclesiæ hostes & persecutores fore: sub vana spe dispẽsationis Papæ, excogitatæ cõtra Dei verbũ; & in maiorẽ suã cõfusionẽ, & duplicẽ ipsorũ in die tremẽdi iudicij condẽnationẽ: nos ideo vt tollam⁹ omnẽ hypocrisin, & suspicitionem, & duplicẽ agẽdi modũ cõtra Deũ & ei⁹ Ecclesiã: scrutatorem cordiũ testẽ inuocam⁹, nos cõsentire mente & corde cũ hac nostra cõfessione, promissione iuramẽto, & subscriptione: adeo nec moueri ullo mũdano respectu: sed persuaderi in cõsciẽtijs: tãtũ per cognitionẽ & amorẽ veræ religionis impressæ à Spiritu sãcto in mentibus nostris: vti respõdebimus Deo, eo die quo õniũ cordiũ secreta

ſecreta reuelabuntur. & quoniã percipimus Eccleſiæ & religionis noſtræ tranquillitatem & ſtabilitatem ex ſalute & bono regimine regiæ Maieſtatis, tamquam inſtrumento cõſolatorio diuinæ miſericordiæ, huic regno pro Eccleſiæ cõſeruatione & iuſtitiæ adminiſtratione inter nos conceſſo pendere: ſpondemus & promittimus corde, ſub eiſdem iuramento ſubſcriptione & pœnis, defenſuros eius perſonam, auctoritatem & dignitatem bonis, corporibus, & vitis: in tutelam Euangelij Chriſti, libertatis patriæ, adminiſtrationis iuſtitiæ, & punitionem iniquitatis: cõtra omnes inimicos, tam intra quàm extra regnũ: vti Deum expectamus miſericordem defenſorem in die mortis noſtræ, & aduentus domini noſtri Ieſu: cui cum patre & Spiritu ſancto ſit omnis honor & gloria in æternum. Amen.

AD IN-VICTISSIMVM SCOTIÆ Regem Auctoris Epigramma.

SCotia quam proaui ſanctam fecere (tremendum
Specta clum cunctis!) ecce profana iacet.
Scotia quæ innumeros, Regum pietate, per annos
Hæſit ouans domino Sponſa pudica ſuo,
Ducitur ad putidum a natis vitianda lupanar:
De domini lachaymans, fraude, retracta thoro:
Quæque potens quondam clara virtute parentum,
Labitur: & præceps iam peritura ruit.
At tu magnanimis ſceptrum cui ferre Britannis
Sydera, ſors, meritum, ſtemmatis ordo dedit:
Cui Deus ipſe nouum puero Diadema paratum
Spondet, quemque manent tertia ſceptra polo:
Tum partis fœlix & regni gaudebis auitis,
Vindicat illatum cum tua dextra probrum:
Scotia cùm per te Sponſo potietur amico:
E tenebris claro Sole reducta nigris.

Gulielmus Cheyſolme Epiſc. Vaſionen.

Ad eundem Sereniſſimum Regem, Auctoris Hexaſtichon.

ARcloo Rex magne mari, quem Scotia tellus
Adſpicit, & placidos ducit ab ore dies.
Accipe quæ contra turbantes ſacra Miniſtros
Sacra tibi in tenui mittimus arma libro.
Arma alios, & bella iuuent immania reges:
Sed magis iſta tibi quæ damus arma placent.

Ad Miniſtros Scotiæ tetraſtichon.

CVm nequeat dici fidei confeßio veſtra,
Doctrinæ errores lurida mille vomens:
Dicatur veræ fidei Confoßio, quam ſic
Impetit, vt laceret more furentis apri.

Ad Reuerendiſſimum dominum. D. Gulielmum Cheyſolmum Epiſcopũ Vaſionenſem, Operis Auctorem.

ECcleſiæ decus & ſancta pia gloria turba,
Viuida cui virtus nomina clara dedit.
Debeat incertum eſt quis plus, CHEISHOLME, diſerte:
Tu Domini Sponſa, Sponſa vel ipſa tibi.
Virtutes & opes, & dignum ſplendore galerum,
Vitamque & mores prouida Sponſa tulit.
Extorri patriam, profugo dedit illa quietem:
Miretur quod te mundus & illa dedit.
Tu morienti animam, fœdata reddis honorem:
Te duce libertas aurea parta ſuis.
Hoſtibus oppreßis, ſacro decorata triumpho,
Iam patriam per te lata reuiſit humum.
Debeat incertum eſt quis plus: Sed debet vterque:
Nam Sponſæ decus es, gloria Sponſa tibi.

G. Strachanus Mernienſis Scotus.

Ad eundem.

PErpetuis Guillelme pijs celebrande Camænis,
Verus ſyncera religionis honos.
Proſternis valide doctis rationibus hoſtes,
Romanæ fidei: victor & inde redis.
Hæreſeon, quibus inficitur cacodæmonis aſtu
Scotia, perfringes vincla fauente Deo.
Et tibi pro tanto reddetur munere munus:
Gloria magna Polo, Gloria rara ſolo.

Ad Auctoris ſtemma alluſio.

QVod gregibus dirum vicerunt ſtemmate patres,
Hoc tua iam virtus vendicat ipſa ſibi.
Illi nam ſyluis raptarunt vulnere guttur:
At Chriſto infeſtum tu rapis arte caput.

A. S. I. C.

In Stauromachum.

IN cruce ſola ſalus, quòd ſi te nulla ſalutis
Cura tenet: mirum crux tibi ſi placeat.
Oderis hanc, odiſſe potes, vitare ſed vnquam
Non poteris: magis hoc quàm tolerare graue.

Zoilus ad lectorem.

Hoc opus eximium conſpexit Lumine Pallas:
Nilque ait hic poterit Zoilus, arte, procax.
Lapſa eſt: nam plures decies qui mente maligna
Detrectent miſeri, quàm qui imitentur erunt.

Ad eundem.

Gallia te natum dum audit, dum Scotia cernit:
Tenent vtranque gaudia.
Vtraque mox clamare ſuum, mox inter vtrunque
Lis nata iudicem petit.
Miſſa Iouis neptis, terras Aſtræa reuiſit:
Et Gallia arridens ait:
En inter tenebras ortum tibi Gallia ſydus
Interque ſpinas lilium.
Indignata vocat ſuperos tum Scotia, & ipſum
Deum laceßit vocibus.
Cui dabitur proles patri, patriæque negata?
Sic illa, ſic breuiter Deus:
Si patri & patriæ cœleſti patria viuat
Et patriæ & viuet patri.
O quales fructus dabit olim: eſſe negatum
Nondum puta, quod non datum eſt.

Ad ſanctos tutelares Scotiæ.

HEV quibus auſpicijs Chriſtum poſitura Deum gens
Iecisti fidei prima elementa ſacræ.
Triſtes reliquiæ ſectis de corpore membris
Heu ſanum potuit vix remanere caput.
Eia fauete operi, vos res, tempuſque requirunt
Et languens, & amans patria clamat opem.
Magnum erat è paruo ſurgentia linquere ſaxa
Vulſa ſolo, & ſoli reſtituiſſe ſuo.

EXAMEN

CONFESSIONIS FIDEI CALVINIANÆ.

QVAM SCOTIS OMNIBVS Miniſtri Caluiniani ſubſcribendam & iurandam proponunt.

MINISTER SCOTVS.

Nos omnes & ſinguli ſubſcripti proteſtamur: quòd poſt longam, & debitam examinationem noſtrarum conſcientiarum, in rebus veræ & falſæ religionis, &c.

DOCTOR CATHOLICVS.

APECIOSA oſtentatione multitudinis ſumptum eſt exordium: cum hanc quę è cerebro paucorum Miniſtrorum defluxit confeſſionem fidei, communibus Scotorum omnium ſtudijs editam, & tanquam coagitatis & compreſſis omnium

nium ingenijs, & sensibus expressam videri volunt: *nos omnes & singuli*, inquiunt, *post longam*: ridicule sane: quasi cõgestis omnium popularium nostrorum capitibus conflari nihil queat, nisi consarcinatio quædam errorum & iniuriarum, quas ne aures quidem virorum grauium & prudentum æquo animo ferre possent. quod si in eam confessionem communibus omnium sententijs itum est, cur ipsa ignota ad singulos viritim Ministri domo educitur? eique fides tantopere extorquetur? imo potius, cur nemo est Scotorum qui nouerit publicè vmquam in eam fidem sententias fuisse omnium prærogatas? omnium dico: ne Caluinistarum quidem omnium: namque hoc si testatum esset satis scio nunquam vulpes istas Samsonias consentire potuisse. facilius enim est decẽ horologia, quàm quinque Ministros inter se consonare. illum igitur ementiri voluerunt qui testis est veritatis, consensum communem duo tresue factiosiores quàm concordiores Ministri, dũ sic præfantur *nos omnes &c.*

cur

cur igitur ſatis eſt quod omnes iſthic ſatis eſſe ſciunt. ſi neſcientes abſenteſque per ſe ſuoſue famulos nomen dederint? ſcilicet, quia ſuæ ſibi diſcordiæ ac diſſipatæ fidei conſcijs ſatis eſt colorem ac ſpeciem obtinuiſſe vnitatis alicuius: ſi non inter ſe, certè contra Catholicos. ſcit Scotia vniuerſa: quam ego huc teſtem appello; ne ad cognoſcendam quidem improbitatem ſpatium dari, ne dum ad diſcutiendum. venit Miniſter: aut dicitur dies: offertur confeſſio fidei: iubetur quiſque iurare: ſubſcribere: minæ in recuſantes intentantur: iuratur: ſubſcribitur: vel ab amantibus profeſſionis ſuæ, vel à timentibus proſcriptionem ſuam. hoc igitur eſt, *poſt diuturnam & debitam examinationem*. id eſt, conſcientiam excuſſiſſe ſuam: & attentius rerum momenta ac pondera libraſſe? at ego expectabam ex hoc proæmio menſes atque annos dari: vt ne cito alligaret quod sẽper obligat. enarrationes aliquas & explicationes rerum interponi: vt ne etiam vera profitendo quiſquam peieraret. & ecce omnia dicto ci-

cto citius fiunt. antecedit confessio cognitionē: cognitio examē omne ac diligentiā. lepide respondisse ferūt Dominū à Forbes seniorem, nouæ huius religionis sectatorem Ministro, qui hāc illi confessionem signandam exhibebat; quid inquit, hac confessione continetur? omnia, ait Minister, verbo scripto & sacris Biblijs haberi, & à Spiritu sancto dictari. Tum ille: quia Biblia agnosco & probo, illis ego subscribam. nec puto signasset, ni vehementior vxoris adhortatio tremebundum senem concitasset: Sacrilegum plane est, religionem quasi captiuam ad cuiusque de populo conscientiam, quasi ad tribunal trahere, qui de ipsa pro arbitrio statuat. per *debitam examinationem*, aiunt, *conscientiarum nostrarum in rebus veræ & falsæ religionis*. enimuero id credo restabat post examinationem: vt solemne illud vsurparetur: *Senatus decreuit: populusque iure sciuit*. atqui ex hac licentia Promethei iam facti estis, & figuli religionū. verū multo aliter Apostolus ad Galat. 1. non enim conscientias eorum

ad

ad quos ſcribebat percunctabatur, *ſed licet vos*, inquit, *aut angelus de cœlo Euangeliſaret vobis præterquam quod Euangeliſauimus anathema ſit.* & 2. Corinth. 10. *Conſilia deſtruentes*, ait, *& omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequiū Chriſti*, adeo procul ab eo fuit, vt iudice conſcientia fingendam refingendamque fidem eſſe cenſeret. huc accedit illud non paulo tetrius: quod iſti repererunt (mirum autem ſi nō reperiſſent) *poſt diuturnam*, aiunt, *ſuarum conſcientiarum examinationem.* Quid ergo illud eſt? hoc tā ſplendido ſcilicet nomine examinationis inducere volunt in omnem fraudem credulos: infinita mendacia, periuria deteſtanda, inexpiabiles religiones nulla cuiuſquam trepidatione concipere. quod ex ipſo progreſſu huius examinis noſtri magis apparebit.

MINISTER.

Sumus nunc penitûs persuasi in ipsa veritate, per verbum & Spiritum Dei. Propterea corde credimus, ore confitemur, manu subscribimus, & constanter affirmamus, coram Deo & vniuerso mundo: quôd ista sit sola vera fides & Christiana religio: quæ nunc per misericordiam Dei mundo est reuelata per prædicationẽ Sancti Euangelij: &c.

DOCTOR CATHOCICVS.

PRimùm vt fucum faciant, asseuerãt suæ confessionis veritatem, per verbum & Spiritum Dei sibi esse persuasam: adeo verô mihi non imponunt dum sic loquuntur: vt ideo non imponant quia sic loquuntur. perfidiosa illa & sicaria meretrix tam suum esse in-
3. *Reg.* 3 fantẽ contendebat, apud Salomonem, quã ipsa vera mater. sed ideo perfidiosa erat & sicaria, quia non suum, tamen esse affirmabat suum. pari modo, tam semper omnes hæretici per verbũ Dei Spiritumq; sãctum de cœlo se hausisse veritatem vociferati sunt, quam Catholici

tholici ipſi & orthodoxi: vt docēt Tertulianus, toto lib. de Præſcriptionibus, & diuus Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo cōt. Donat. idem patres omnes alij & Eccleſia ipſa teſtantur. ſed ideò hæretici ſunt: non quia negant ſe verbo Dei teneri, aut Spiritu eius duci: ſed quia teneri ſe clamitant verbo Dei, cùm illud torqueant: & eiuſdem Spiritu duci, cùm trahātur ſuo. Quis enim vnquam hæreticus, aut quis vſquam, non verbum Dei plenis faucibus inclamat? aut quis Spiritum ſanctum quaſi manu iuncta ſibi non vendicat? ſed ideo falſo vtrumquè: quia nec verbum Dei audit, qui Eccleſiam non vult audire: quam ſi quis nō audierit, iubet verbum Dei, Matth. 18 vt ſit nobis ſicut ethnicus & publicanus. & non Dei Spiritu ſed carne ſua & ſenſu trahitur vt ait Apoſtolus, *qui deſideria carnis perficit:* Rom. 8. *qui ſectatur emulationes, rixas, diſſentiones,* Gal. 5. *ſectas, inuidias, &c.* ideoque magiſtratibus ſuis obedire non vult, Eccleſijs nimirum legitimis & ſupremis: quibus ſolis Spiritum ſanctum nunquam de-

futurum vindex noſtrę ſalutis promiſit: *vt maneat vobiſcum in æternum*, inquit, *Spiritus veritatis quem mundus non poteſt accipere.* id enim quæritur ſcil. ecqui a-
Rom. 8. gantur Spiritu Dei? quoniam ij ſoli filij ſunt, apud quos maneant Dei ver-
Ioan. 8. ba: quoniam eos ſolos veritas liberat. hic vos vtrumque vobis arrogatis: nos contra vendicamus. at enim ad hoc iudicium vos quid argumẽtorum affertis? enimuero illa veſtra eſſe: ita vos credere: ita vobis eſſe perſuaſum: quaſi vllis vnquã hæreticis aliter perſuaſum fuerit, quàm quo modo ipſi inſanirent. ſed hoc docete: quibus de cauſis & quam rectè id vobis ſit perſuaſum? qui tituli ſunt, quæ documenta veſtra? quæ iura ad hanc de qua manus cõſeremus hæreditatem repoſcendam? namque nos antiqua & minime controuerſa poſſeſſione, atque omnium temporum, gentium, ipſaque adeo diuina miraculorum teſtificatione nitimur: vos quid opponitis? quid oſtenditis? audio: ſic enim dicitis *quæ nunc modo reuelata eſt per prædicationem Euangelij.* reuelatum igitur

igitur dicitis fuiſſe mundo, & apud vos eſſe verbum Dei, & Spiritum eius: quoniam apud vos prædicatur verbum Dei. hoc eſt dicere, veſtrum eſt verbum Dei, quoniam apud vos auditur verbum Dei: denique quoniam veſtrum eſt verbum Dei, & Spiritus eius. miſeri Siſyphi: quouſque voluetis idem ſaxum, quod videtis nuſquam poſſe conquieſcere? idipſum enim eſt, rurſus, & tertio, quod vertitur in controuerſiam: recta ne & ſana ſit apud vos prædicatio verbi Dei: quid igitur, latuiſſe verbum Dei? & tanquam ſolitudinem, ſilentium atque noctem putatis fuiſſe, ab ipſis Apoſtolorum temporibus? at hoc eſt abſurdiſſimum: cùm tam hæretici quàm Catholici dicant, & in eo hæreāt: prædicare ſe verbum Dei: rectè an ſecus, verè an falſo, alia quæſtio eſt. id ergo oſtendite quod quæritur: non, an prædicetur apud vos verbum Dei: ſed an verum & ſincerum verbum Dei: an recta ſanaque intelligentia atque authoritate prædicetur apud vos verbum Dei: non autem hic mihi ridiculi oc-

clamate, deliquium paſſum fuiſſe, vos accurriſſe, & frigidâ aſperſiſſe: eaq; iam curatione veſtra reuiuiſcere. At enim nos idẽ, ſi quæratur à nobis: eſſe noſtrũ verbum Dei, ac ſanam eius prædicationem & intelligentiam contendemus. non quia illa noſtra ſit, (hoc enim probandum eſt) ſed quia ſumus in Eccleſia Dei, quæ *columna eſt & firmamentum veritatis:* extra quam nemo ſaluatur: quæ ſola eſt corpus Chriſti. in qua qui non fuerit, nec ſalutem, nec verbum Dei, aut Spiritum eius habet. iam verô eſſe nos in Eccleſia reuinceremus è germanis & propriis Eccleſiæ notis: vnitate, ſanctitate, vniuerſitate, communione ſanctorum: quas vlli quam Romanæ conuenire non poſſe veritas ipſa teſtificatur. idque præſtiterunt cùm multi alij, tum Bellarminus in libris de Eccleſia, & Thomas Bozius tribus voluminibus de ſignis Eccleſiæ Dei, afferemus & germanos ac quaſi natiuos characteres verbi Dei: ſicut eos diligenter perſequutus eſt Turrianus, in libris quos hoc ipſo argumento conſcripſit. deſinite igitur

1. Tim. 3.

Concil. Lat. ſub Innoc. c. 3 D. Cypr. lib. de Vnit Eccleſ D. Auguſt. lib. 4. de Symb. ad Catech. c. vlt.

igitur litigando crimen ipsum pro absolutione proferre: desinite petere principium: desinite Meādri reuolui in caput. hoc enim ostendendū est, vestrum esse verbum Dei & Spiritum eius: hoc vos ne assumite, sed astruite: firmate, si potestis, rationibus, quod tam clamosis vociferationibus affirmatis. sed iam reliqua.

MINISTER SCOTVS.

Recepta, credita & defensa â multis Ecclesijs & regnis, & præsertim ab Ecclesia Scotica, regis magestate, & tribus ordinibus huius regni, tamquam æterna veritas Dei, & vnicum fundamentum nostræ salutis. vt particularius exprimitur in confessione fidei nostræ; publicata, & confirmata per diuersa acta parlamentorum: quæ iam diu publice à Regia magestate & vniuerso regno probata est, tam in ciuitatibus quàm in pagis.

DOCTOR CATHOLICVS.

HOmines fortunati, dum obeūt solicitè & peruagantur conscientias suas, (sicut ainnt) incurrerunt tandem in

in auxilia firmamentaque cauſæ ſuæ: Eccleſiarum videlicet inſignium, regnorumque conſenſionem ac ſocietatem. regna (inquiunt) regna vniuerſa ſunt à nobis. quid vobis ergo Miniſtri hoc iuris & nominis eſt, ad aſſerendum Spiritum ſanctum deique verbū: quôd regna iam multa in veſtram tranſiere ſententiam? quôd coronata & diademate redimita capita vobiſcum cõſentiunt, & communicant conſilia: quę errare & falli omnia nemo iure dicat? cur hic igitur vos vnus aut alter tam proterui vultis os ſublinere omnibus. omnibus dico, quos nemo vnquã fefellit, neminem omnes. veruntamen vbi illa ſunt regna multa? vbi illa quæ dicitis veſtra ſceptra & imperia? trans Tanain credo, ſoliſque vias: aut trãs Caucaſum & montes Caſpios, vbi ſuum Meſſiam glorioſiſſimè triumphare Talmudiſtæ negantur. Namque in Europa nullum ſane veredarij noſtri cognouerũt. Germanorum imperium obtinet imperator Catholicus. Dania, Noruegia, Suetia, & horum regnorum principes charum

rum habent Lutheri nomen: Melanthonijs articulis vel confeſſione Auguſtana, vrbes, ſi quæ ſunt, Imperiales tenentur: Caluinum fere omnes deteſtantur: & quo non eſt apud illam gentem execrabilius nomen, Sacramentarios, Cœnatores, ambulatorios vos nuncupant: ſpurioſque Gebenenſes inclamitant: Angli vos adeo execrantur, vt ne orationes quidem vobiſcum miſceant nec iniuriâ: quam enim vos deſpicitis Eccleſiaſticam hierarchiam, illi amplectuntur. Hiſpaniam & Italiam ſcitis eſſe Catholica. Gallia & Catholica eſt, & regem agnoſcit Catholicum: Rupella enim, & ſi quæ vrbes rebelles Caluiniſnum probant, regni nomẽ non merentur. Geneua Sabaudi Ducis iuſtum imperium reſpuit: vnica ciuitas. vbi iam nobiles reges? vbi florentia regna, quæ ſocijs armis atque animis vobiſcum concertarunt, & iſtam fidei cõfeſſionem probauerunt? ſed temerarias manus ne à regibus quidem & regnis coërcetis. Quæro iam à vobis Miniſtri: ante triginta aut quadraginta fere annos

nos, apud veſtram iſtam quam dicitis religionem certa-ne erat & propria ſedes, ac regio verbi Dei ac Spiritus eius? quidni (dicetis) calentibus adhuc Prophetis, qui ipſam è nouo cœlo deuexerant! At tum adeo regna extera non occuparat: vt ne in Scotia noſtra recepta fuerit: non eſt igitur vera & natiua ſanctitatis nota, cũ populis & regnis conſentire: ſi quidem ante quadraginta annos, quo tempore ſanctiſſimi & maximè Euangelici haberi cœpiſtis, cũ populis aut regnis nondum conſenſiſtis. ſed dabimus, eſto: fueritis genere ipſo ex Aloïdarum ſobole, qui (vt fabulantur poëtæ) cubitis creſcebant indies: occupaueritis, ex ipſo primo ſatu atq; ortu veſtro, prouincias atq; regna: num ideo tamen mihi dogmata veſtra perſuadebitis? haud ſane magis quàm Arriani olim perſuaſiſſent, cum imperio ipſi, & rerum potirẽtur. quæramus quid optime factum ſit, non quid vſitatiſſimum. quod quidem inſtinctu naturali cognitum, auctoritate ſua ita Deus ipſe ſanciuit, *Non ſequeris*, inquit, *turbam ad faciẽ-*

Exod. 23.

faciendum malum: nec in iudicio plurimorũ acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Sed quid ego tantopere contendo? nã quid eſſe ſtultius poteſt, quâm id proferre in cauſam ſuam, quod aduerſario magis quàm ſibi opituletur? nam ſi multitudine certetur, planè victi eſtis. Quotquot enim hodie viuunt Imperatores regeſque Chriſtiani noſtri ſunt, præter Scoticum & Danum, inter ſe alioqui in religione diſcordes. ſed (ne ſine fœmina ſitis) addam Angliæ reginam. nec ſic multitudinem obiectã volumus. quaſi ea ſit quæ faciat religionis veritatẽ, ſed quæ indicet. nec tã hoc in cauſam noſtram argumentum vtile traducimus, quàm oſtentandis copiis ab aduerſantibus vobis abducimus. nos enim inter cæteras Eccleſiæ notas hanc habemus certiſſimam, & propriam: quod Catholica ſit. Catholicum autem nomen, non vno vel tempore, vel loco, ſed perpetua ſerie temporum, locorum, hominumq; & hæreditaria, cõtinuaque ab Apoſtolis ſucceſſione magiſtratuum & doctrinæ æſtimandum eſt. Quod autem dicitis:

tis: *Receptam, creditam & defenſam à multis Eccleſiis.* Quid Miniſtri? multę sũt ergo Eccleſiæ? nos vnam agnoſcimus. etſi enim partes populi ſæpe populos dicamus: velut in Scotia; ſi populum numeremus, Inſulanum, Montanum & Maritimum: atque ita tamen, vt res eſt quæ ad communitatem ſpectat, vnum populum eſſe dicimus. Pari modo, dũ in Sacris litteris Eccleſia dicitur Laodicena, aut Corinthiaca, partes ſignificantur vnius Eccleſiæ, & communitatis. Si quidem vnicam eſſe dumtaxat Eccleſiam, ſeu communitatem Chriſti fidelium, & nos profitemur in Symbolo: & Chriſtus ipſe docet, Ioan. 12. vbi ait vnum eſſe ouile, ſicut & vnum paſtorem. & Apoſtolus, ad Rom. 12 apertè docet, nos multos eſſe vnum corpus in Chriſto, idem confirmat. 1. ad Corinth. 12. Sanctiſſimique & clariſſimi Doctores Cyprianus & Auguſtinus libros ſcripſerunt, de Vnitate Eccleſiæ. Quid ergo dicitis, *à multis Eccleſiis* veſtram Eccleſiam deffendi? *Nihil mihi cum Dathane, cum Core, & Abirone ſeditioſis: Chriſti ego*

sti ego sum, & amans parentis meæ Ecclesiæ. quod autem per Ecclesias dicitur defendi: nō per Ecclesiam, sed per hostes meos Schismaticos & seditiosos defendi dicitur. neq; enim id afferri potest, quod in certis ritibus & legibus priuatis locum haberet: hoc negotium nō spectare ad communitatem Ecclesiæ vniuersam. nihil vitalius, nihil interius, nihil Ecclesiæ totius magis esse potest quàm iudicium de fide: quando & ipsa Christo desponsatur in fide. & vnica est fides sine qua impossibile est placere Deo: fundamentum iustificationis nostræ. imo quod amplius est, quando & iustus ex fide viuit. Rom. 1. Heb. 10. Nihil ergo est, quod hic mihi ostentes Ecclesias: nullæ sunt, si vnica non est: omnes amittit qui vnam non tenet. Ecce namq; clamat & contestatur D. Cyprianus: *hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit, in Ecclesia se esse cōfidit? nemo fraternitatem mendacio fallat: nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat: vnum caput est & origo: vna & sola mater. illius fœtu nascimur, lacte nutrimur, spiritu animamur. adulterari non potest sponsa*

Christi. incorrupta est & pudica. vnã domũ nouit: vnius cubiculi sanctitatẽ nõ peruenit ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Christi. hinc hæreses & factæ sunt frequẽter, & fiũt, dũ peruersa mẽs nõ habet pacem: dũ perfidia discordãs non habet vnitatẽ. sic probãtur fideles. sic perfidi detegũtur. Sequitur: *A Regis Magestate, & tribus ordinib⁹ huius regni, &c.* Impudẽtia vestra fuit, Ministri, quod vestrã confessionem à multis atque insignibus Ecclesiis dixistis receptam, cùm nullam præter Scoticam possitis nominare, quæ vos non execretur. Iam impudentius iudicium, arbitriumque fidei parlamentis ac laïcis committitis. quod exemplum facti? quod præceptum habetis in sacris oraculis? quôd si Sempronij, Papiniani & Pomponij non putatis esse decidere de fide, statuere de religione, de sacris cognoscere, cur in re tam sacra, tam religiosa, tam de fide quàm est ipsa fidei regula & canon, autores citatis Caium & Sempronium, Papinianum & Pomponium & siue tributa, siue Centuriata comitia? nos certe homines antiquæ fidei

fidei Oeconomicas Synodos expectabamus, patrum ſanctiſſimorum ac doctiſſimorum Epiſcoporum conſilia & ſententias: at vos homines recenti induſtria, in laicis reperiſtis ſacerdotes: in maritis Epiſcopos; & certè Biblia in Codice; in terra patria ὁμοφύλων: nec comitijs contenti Eccleſiam veſtram in pagos, (forte ſpectandis floribus) traduxiſtis, *quæ iam diu* (dicitis) *publicè à regia Mageſtate, & vniuerſo regno probata eſt, tam in ciuitatibus quàm in pagis.* & certe recte vos in pagos recipiſtis, qui ab vrbe fugientes perditos & improbos recipiunt. quales vos primos nacti eſtis Euangeliſtas. Et quò ſit, lector, veriſimilior noſtra narratio, aduerte primos diuinę huius ſtirpis ſurculos Iohammim Kuoxium, & Ioannẽ Vniremum qui (ſi dijs placet) in cœca nocte, & totius terrarum orbis tenebris lucem cœlo & aſtris dederant, opem miſeris manumque iacentibus obtulerant, primique in Scotiam exulantem Chriſtum deportarunt: alterum monachum fuiſſe, alterum ſacerdotem,

vtrumque apoſtatam. ille ex longarum nauium impulſore (eam enim pœnam ex crimine meruit) factus nouus Euangeliſta: hunc ex caſto Cœnobio impura vocauit voluptas. cuius ſubitam mutationem miratus, nobilis Baro de Scyfeid, quid (inquit) Vnireme, qui ante annum, tanta contentione pro Miſſa certaſti, ſubitò ducta Fauſtina ſententia mutata eſt; cùm ille eandem ſe ante quadraginta annos ſententiam tenuiſſe dixiſſet: alluſit iterum nobilis: belliſſimè: vt te nequam intelligamus: qui tam ſolemniter es mentitus. quadraginta pariter annos perſiſte, dū veram de te ſententiam concipiamus. Hi fuerunt primi huius Euangelij Apoſtoli; hi Petrus & Paulus huius Eccleſiæ, hi Moyſes & Aron tabernaculi huius atq; legis. his non per viſionem aut ſomnium, ſicut ceteris, ſed palam facie ad faciem locutus eſt dominus. hos habuit ſuę gloriæ reſtauratores, ſuæ vindices Eccleſiæ, ſui mūdi atq; operis ſartores atq; textores. Deus immortalis! imago hęc eſt diuorū illorū quisāguine

Chriſti

Christi altissimè tincti, in spiritū ipsius, moresque toti reuixerunt? hos amoris sui exemplum mortalibus edit atque ostentat! heroas puritatis: angelos terrestres, corporeos cœlicolas? hos omni superiores cupiditate, à carne inuictos? ab humanis prope immunes: præistis: nihil illi de quibus audimus, & quos miramur Chrysostomus, Hieronimus, Augustinus & ceteri, quorum fusas effusasque cœlo virtutes infirmitas nostra admiratur.

MINISTER SCOTVS.

Cuius confessionis & formæ religionis omnibus articulis, voluntariè in conscientia assentimur, vti indubitatæ veritati Dei, fundatæ in solo verbo scripto.

DOCTOR CATHOLICVS.

VOluntariè & ex animo, inquiunt? Mendacium quo nullum potest esse solemnius. Nulla enim vel ab inimicis excogitari potest grauior, vel ab homine libero sustineri pœna molestior: quàm priuatio gratiæ & fauoris

ſui principis, ſpoliatio bonorum omnium temporalium, excluſio ab omni participatione Iuſtitiæ, in cauſis etiam æquiſſimis, exilium & redactio familiæ, coniugis ac liberorum adextremã mẽdicitatem & miſeriam: quæ omnia coguntur ſuſtinere Catholici. niſi cum abſurdiſſima hac fidei Caluinianæ cõfeſſione conſentiant, in eandem iurent, & ſignatura confirment, Catholicam fidem pro viribus oppugnant. hocne ſit vltro & ex animo aſſentiri, iudicet lector.

Tanquam *indubitatæ veritati Dei, fũdatæ ſuper ſolo verbo ſcripto.* Profecto vos male fundatis veſtram veritatem: quã ſicut Empuſam vno tãtum vultis pede conſiſtere. vno (inquam) verbo Dei ſctipto. credo & illam velletis vno tantum oculo cernere: ne vos alioqui oculatiſſimos tam parum hic vidiſſe miremur. ego euidenter & apertè veſtris è verbis reuinco, non eſſe vobis credendum. Primum: dicitis hanc veritatem veſtram fundatam eſſe ſuper ſolo Dei verbo ſcripto. atqui Paulo ante dixiſtis

xistis *post diuturnam examinationem conscientiarum* vestrarum, *in rebus veræ, & falsæ religionis, vos penitùs persuasos fuisse in ipsa veritate per verbum & Spiritũ Dei.* quæro igitur: illud verbum quod tum loquebatur Spiritus Dei in vobis, inter illas mordaces curas, & anxias cogitationes vestras Dei vera, & falsa religione: illud verbum Dei quod edebat & suscitabat in oraculo suo pectora vestra, illud (inquam) Dei verbum quod in vobis ingeminabat, Papam esse reijciendum, Caluino esse adhærendum, ea quæ Papistæ dicũt esse falsa, & quãuis à Spiritu etiam & verbo Dei profecta contendant, tamen Spiritum illum falsum & mendacem esse censendum: illud, (inquam rursus) Dei verbum per quod in illo æstu vestro, flante Spiritu Dei tranquilitas vobis exorta est, scriptum erat an non scriptum? si non erat scriptum: credendum ei non est ex vestra sententia: quia vestra veritas fũdata est super solo verbo Dei scripto. Quod si erat scriptũ: vos falsum dicere non agnoscitis? quę enim vnquam ver-

ba ſcripta Spiritus Dei locutus eſt ad homines; ea eſt locutus non verbis, ſed Prophetis Apoſtolis, & Euangeliſtis, vt
f. minimum ante mille ſexcentos annos. quod ſi eadem dicitis ipſum vobis iterum fuiſſe loquutum. Iam hoc credere non debeo: quia nuſquam ſcriptum eſt; ipſum vobis iterum loquutũ fuiſſe. Iamne cernitis Miniſtri obſecro, vt inſtar calumniæ veſtrum Dei verbum malè claudicet, & procedendo ſeipſum det in præceps. & ſi hoc demus, eſſe verbum Dei ſcriptum, per quod in hac libratione pendentis animi veritas vobis lancem depreſſit: proferte illud, atque oſtẽdite. Nos enim Catholici adeo non reperimus vſquam illud, vt contrarium reperiamus: atque ex eo vos hæreſeos & improbitatis coarguamus.
2. Theſſa. 2. *State* (inquit Apoſtolus), *& tenete traditiones quas didiciſtis: ſiue per ſermonem: ſiue per epiſtolam noſtram*; & ipſe vindex ſalutis noſtræ Spiritum ſanctum pollicitus eſt Eccleſiæ ſuæ, vt maneat cum
Ioan. 16. ipſa in æternum. Spiritum (inquam) qui doceat eam omnem veritatem: & quæ ventura

ventura ſunt annunciet ipſi. quomodo ergo manet cum ipſa in æternum, ſi nihil loquitur? aut quomodo loquutus eſt ipſi in æternum, & eam docet omnem veritatem, ſi mutus eſt? nec vltra hiſcere quidquam, effariue audet à mille iam & quingentis annis? imo ſi ne ante quidem verbulum vnum emiſit vſque ad Apoſtolos Euangeliſtaſue, præter illos apices quos exaratos retinemus? nam ſi vel minimo ſibilo Spiritus ſancti, doctiorem factum fuiſſe Diuum Paulum, aut Diuum Ioannem, aliumue quemlibet conceditis, quam quantum ipſorum ſcripta nobis oſtendunt: continuô ego inferam, cum illud ſcriptum nõ ſit: ergo aliud eſſe Dei verbum ſcriptum, aliud non ſcriptum. Imo cum ipſe Diuus Ioannes teſtificetur. ſi quæ dixit, quæque fecit Chriſtus ſcriberentur omnia, orbem terrarum vniuerſum libros ipſos capere non poſſe. illa quę tam multa dixit, fecitq; præter eam quam ſcriptam habemus tantillulam partem nonne verba Dei erant? quid ergo? deſierunt eſſe verba *Ioan. vlt.*

Dei, quia ſcripta non ſunt? deſierunt eſſe verba Dei, multa ex ijs quoniam fideliſſima multorum memoria cõſeruata poſteris tradita ſunt? deſierunt eſſe verba Dei aut deſinunt quoniam ipſorum Bibliorum teſtificatione cõmendata, non in Bibliis literatim, ſed in ipſorum fidelium pectoribus, in ritibus quotidianaque ſacrorum vſurpatione inſita, inſculptaque perſeuerarunt? ſed illud ego duntaxat cõtendo: veſtra ipſorum voce ac teſtimonio abnegandã vobis fidem omnem. nam cùm, vt dicitis, veritas veſtra innitatur ſolo Dei verbo ſcripto, falſum eſt quod dicitis, hanc vobis veritatem fuiſſe reuelatam per Spiritum, & verbum Dei: quia nec hoc vſquam ſcriptum eſt. nec ſi maxime ſcriptum eſſet vos habere Spiritum Dei ideo vobis eſſet credendum, ſi vel tranſuerſo accentu ſpirituue à dinumerandis inciſim Euangeliorum ſyllabis, vlla vobis reſpiratio aberraret quoniam & ſi per Spiritum Dei reuelatum id eſſet, tamen iam per vos credendum non eſſet: quoniam verbum Dei non ſcri-

ſcriptum eſſet. longe aliter docet Diuus Auguſtinus libro primo contra Creſcon c.33. *Scripturarum* inquit, *à nobis tenetur veritas, dum id facimus quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat autoritas: vt quoniam ſacra ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, Eccleſiam conſulat, quam ſacra ſcriptura demonſtrat.* Scriptũ enim eſt, *ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* vos deſponſum Spiritum ſanctum vobis affingitis. qui vos in dubijs regat, ſoletur in aſperis, qui vos in his periculis hortetur contra Papam; cum illud tamen mirabile coniugium nuſquam extet ſcriptum, nec illa eius reſponſa tam noua quiſquam adhuc ſcriba diuinus ediderit. erubeſcite, obſecro, ſi quid adhuc ſupereſt puri ſanguinis, me certe veſtri pudet, pigetque. Matt. 18

MINISTER SCOTVS.

Et ideò omnem contrariam religionem & doctrinam deteſtamur. & præcipuè omne genus Papiſmi, in genere & in ſpecie: vti iã eſt

est confutatum & condemnatum per verbũ Dei, & Ecclesiam Scoticam.

DOCTOR CATHOLICVS.

VT mittam voce potius, quam scripto, & scripto potiusquã solo scripto: & ab vnoquoque sigillatim quàm ab omnibus communiter, professionẽ istam edi debuisse: vt ita diceretur, *ego talis &c. profiteor &c. quam nos omnes & singuli &c.* quia singulorũ actio est ista, non vniuersorum. vt taceam tam longum exordium trepidationem significare diffidentis animi, & causæ infirmitatem: nec ibi probandam fuisse fidem, sed profitendam: neque proferendum cur, sed quid quisque crederet. vt hæc, inquam, præteream: vbi obsecro explicatis quæ vestra sit fides, quæue professio? dicitis hanc religionis vestræ constitutionem: at quæ sit ea religio, quibus ceremonijs, quibus effatis arcanisque cõtineatur, nihil dicitis. hoc solum dicitis: *hanc quæ nunc reuelata est, &c.* quasi & hoc Catholicæ religioni, & omni omnino superstitioni ex opinione

ne ſuorum Miniſtrorum quadrare non poſſit. Cum autem quaſi res conſtet, (quod eſt abſurdum) de repente in illud erumpitis: *& ideo abhorremus ab omni doctrina contraria.* ac poſtea continuatis veſtrũ horrendum carmen. quid deteſtemini cognoſcere poſſum: quid amplectamini (quod tamen initio patere debuit) certe non poſſum. hæc ſcilicet odium veſtrũ in Pontificem ſignificant non amorem religionis: hæc auerſionem veſtram clamant à veritate Catholica, non ſenſum aliquem conceptæ opinionis: hæc timorem diſciplinæ & correctionis, non amorem veritatis: nã cur alioqui nullis poſitis fundamentis doctrinę veſtræ, totam fidem veſtram in deteſtatione conſtitueretis? ſed ad particulares execrationes ac deteſtationes accedamus.

MINISTER SCOTVS.

Sed ſpeciatim deteſtamur & reÿcimus vſurpatam Romani illius Antichriſti auctoritatem ſupra ſcripturas Dei, Eccleſiam, Ciuilem magiſtratum, & hominum cõſcientias

tias, &c. Mundanam eius Monarchiam, & Impiam Hierarchiam.

DOCTOR CATHOLICVS.

NIhil vnquam fuit quod tam vehemẽter torserit antiquos hęreticos, quàm authoritas Ecclesiæ, & Summi Põtificis, eo quòd horum authoritate, non solum itum sit obuiam erroribus omnibus, sed eadem etiam sint prorsus extincti. Hanc Ecclesię & Summi Pontificis authoritatem timentes Caluinus & eius sequaces, & clarè perspicientes se non posse eandem cum antiquis hæreticis condemnationem euadere. aut Summi Pontificis authoritatem eludere. illud callide commenti sunt. Ecclesiam esse inuisibilem, & ideo non posse habere caput visibile. hoc commento, astruunt authoritatem Summi Pontificis esse vsurpatam. sed cùm nequeant dicere D. Petrum fuisse inuisibilem, negant illum aut primatum habuisse supra cæteros Apostolos. aut vnquam Romæ fuisse: vt caput dici potuerit Romanæ Ecclesiæ. in hac doctrina

ctrina fundati Scotici Miniſtri imitatores magiſtri ſui Ioãnis Caluini, præclaram hanc fidei ſuæ profeſſionẽ proſtituerunt, & Scotis noſtris obtruſerũt. in his conſiſtit tota vis, & pondus errorum omnium, quos his ſuę profeſſionis fidei articulis proponunt; ſed quã longè à veritate aberrent, authoritate ſacræ ſcripturæ & ſanctorum patrũ paucis expediam. Eccleſiam eſſe viſibilem his ſcripturæ authoritatibus & rationibus probat D. Auguſtinus, in pſal. 47. de Eccleſia loquens his verbis: *hæc eſt lucerna quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata.* & l. 2. c. 32. Contra litteras Petil. *in omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. hinc fit vt Eccleſia vera neminem lateat. vnde eſt illud quod in Euangelio, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. ideoque in eodem pſalmo connectitur, in ſole poſuit tabernaculum ſuum: id eſt, in manifeſtatione.* idem in tractatu 2. ſuper Epiſtolam Ioannis. *quid amplius dicturus ſum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident? qui contra lucer-*

Matt. 5.

Pſal. 18.

lucernam in cãdelabro positam oculos claudunt? Idem Epistola 48. ad Vincentium Rogatianum *quomodo autem confidimus ex diuinis literis accepisse nos Christũ manifestum, si non inde accepimus & Ecclesiam manifestam? quaslibet quisque ansas & uncos aduersus simplicitatem veritatis intexat, quaslibet nebulas callidæ falsitatis offundat, sicuti anathema erit qui renunciauerit, Christum neque passum esse, neque tertia die resurrexisse, quoniã in veritate Euangelica accepimus: oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die: sic erit anathema, quisquis anunciauerit Ecclesiam propter communionem omniũ Gentium &c.* Idem manifestius lib. 3. c. 3. contra Faustum Manich. verbis catechumeni interrogantis: *quo ergo signo manifesto adhuc paruulus & nondum valens liquidam discernere à tot erroribus veritatem? quo manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi in quem iam credere tanta rerum antea prædictarum manifestatione compellor?* Hier. 17. *sequitur Propheta, & tanquam motus animi eius: ordinatissimè excipiens, docet enim Ecclesiam Christi ipsam esse prædictã, quæ*

quæ omnibus eminet & apparet: quid est quod clarius docere potuit Ecclesiam Christi esse visibilem, non inuisibilem, & mathematicam, abstractam à sensu & sensibili, vt somniant nouatores?

De potestate huius Ecclesię sic scribit D. Aug. l. 4. c. 1. de Baptismo, contra Donatistas. *Munus beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur: quæ supra Petram etiã fundata est, quæ ligandi & soluendi claues accepit. hæc est vna quæ & possidet omnẽ sui sponsi & Domini potestatẽ, per quam coniugalem potestatem, de ancillulis filios parere potest, qui si non superbiant, in sortem hereditatis vocabuntur: si autem superbiant extra remanebunt:* & de Symbolo l. 4. c. 10. *Si quis absque Ecclesia inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum: nec habebit Deũ patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrẽ. nihilq; ei valebit, quod credidit, vel fecit tãta bona, sine fine summi boni diuina sapientia. præuidebat fore, vt in hac Ecclesia sæpius orirentur cõtrouersiæ: & ideo vnũ idemque caput visibile ad eas dirimendas statuendum putauit: cui ceteri subesscent ac parerent. quod quidem iure diuino humanoque*

ſemper vbique Gentium factitatum eſſe cõpertum eſt. Porro apud Hebręos ſummũ Pontificẽ qui cæteris pręeſſet Sacerdotibus adeo inſtitutũ eſſe nemo eſt qui neſciat: quin etiam teſtantur ſcripturæ eum licet malum & iniquum, tempore
Ioan. 18. paſſionis Chriſti, dono Prophetiæ fuiſſe prędituũ: eo quòd Pontifex eſſet. Quę apud gentiles optimis legibus inſtituta reperitur reſpublica, ſemper ſummum habebat ſacerdotẽ, qui iure & authoritate cæteris antecelleret Sacerdotib⁹. in Romana republica Pontifex Max. maximum omnium, tũ in cæteros Sacerdotes: tum in alios magiſtratus ſibi vendicabat imperium. in Atheniẽſium certe republica ſummus etiam Sacerdos erat, qui in Areopago ſingulorum ſententias colligebat. Quod igitur rationi conſentaneum: diuino humanoque iure inſtitutum reperiebatur, non
Matt. 5. venit Ieſus abrogare, ſed perficere & adimplere. Aut ius naturale adeo mẽti cuiuſque inſitum labefactare: ſed perfectiſſimum reddere. ac propterea inſtituto iam in Eccleſia collegio Sacerdotum,

dotum, ex illis vnum omnium maximum & principem, qui cæteris præesset elegit. fuit autem hic Petrus: qui tã prompto & alacri animo, quæ diuinitus acceperat de Christi diuinitate palam confessus fuit: & à Christo gratiam rependente responsionem illam omnium maximam, quod Cephas vocandus esset, accepit. Cephas enim Syriacè, latinè idem est, quod Petrus, vel petra; seu petra durissima. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nemo quid abiectum vel humile cogitet, dum audit super petram à Christo esse superædificatã Ecclesiam: quasi tanta structura super hominem quempiam innitatur: nam sic dicitur „supra Petram à Christo ædificata, vt idem ipse Christus basis quædam sit, ac totius structuræ fundamentum. de quo ait D. Paulus. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est Christus Iesus.* Et quoniam sicut caput Ecclesiæ est Christus: ita & caput Christi Deus est. verum quantumlibet Deus omnipotens totum hoc quod o-

Matt. 16

2. Corin. 3.

culis cernitur, aut mente comprehenditur admirabili quadam ſapientia & prouidentia moderetur. nihilominus tam in cœlo quàm in terra ſtatuit principatus, quibus qui ſunt ſubditi pareãt: eodem ſane modo licet Chriſtus ſit autor Eccleſiæ, protector, & moderator: tamen principatum quẽdam in ea eſſe voluit, quem Petro contulit. ac ad eius ſucceſſores propagauit. ſicut ergo certum eſt. quod nemo aliud poteſt ponere fundamentum, præter id quod poſitum eſt quale eſt Chriſtus; ita etiã nec aliud quiſpiam ponet, quam quod poſuit Chriſtus neque conuellet quod ipſe firmauit, dicens: *tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* hæc doctiſſimè illuſtr. Cardinalis Baronius. quamuis aduerſarij hunc primatum à Petro diuellere conentur: nihil tamen proficient, ſunt enim ſcripturæ claræ. Io. 20. Chriſtus fatetur ſe paſtorem gregis paſcendi, tandem poteſtatem Petro dedit, per trinam interrogationem: & præceptum paſcendi greges. *Petre amas me? paſce agnos meos,*

Ioan. 21.

paſce

pasce agnos meos, pasce oues meas. Matt. 16. *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. & tibi dabo claues regni cælorum &c.*

Sunt præterea testes omni exceptione maiores, qui astruunt hunc primatum à Christo esse collatum Petro: doctores scilicet Ecclesiæ primitiuæ. temporis antiquitate, doctrinæ præstantia, martyrij dignitate, aut fidei cõfessione illustres, quos horum temporum sciolis opponimus. Tertullianus Apostolorũ temporibus proximus, lib. de pudicitia, cap. 20. *qualis es*, inquit, *euertens, atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem: super te*, inquit, *Aedificabo Ecclesiam meam.* Origenes lib. 5. ca. 6. in Epist. ad Rom. *Petro summa rerum de pascendis ouibus cum traderetur: & super ipsum, velut super terram fundaretur Ecclesia. nullius cõfessio veritatis alterius ab eo nisi charitatis exigitur.* Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, potestatis: sed exordium ab vnita-*

te proficiſcitur: primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna mõſtretur: & paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur. Hilar. in Math. cap. 16. *O in nuncupatione nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, qui infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cælo.* Baſil. mag. hom. 29. de Pœnit. *Etſi Petrus petra eſt: non vt Chriſtus petra eſt, ſed vt Petrus petra eſt. Chriſtus enim reuera petra eſt immobilis & inconcuſſus: Petrus propter hanc petram: largitur enim Deus ſuas dignitates, non euacuans ſe, ſed habens dat: lux eſt, vos eſtis,* inquit, *lux mundi: Sacerdos eſt, Sacerdotem facit; petra eſt, petram facit.* D. Hier. lib. 1. con. Ioui. *propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite cõſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* D. Aug. qq. ex nouo teſtamento q. 45. *Sicut in ſaluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt in Petro omnes continentur: ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt paſtor eſſet gregis*

Matt. 5.

Domi-

Dominici. Idem lib. 2. c. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas, *Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum, cuilibet Epiſcopatui præferendum.* & hom. 124. de Tẽpore feria. 4. poſt dom. pal. ſerm. 1. *Idcirco diuinæ prouidẽtiæ ſecretum ita temperauit, atque permiſit: vt primus ipſe laberetur ac rueret in peccatum, quo erga peccãtes duriorem ſententiam proprij caſus intuitus temperaret. quantum igitur diuini muneris erga ſalutẽ hominũ: quantũ curæ, quantum ſolicitudinis impẽdatur, aduertite. totiº corporis morbũ, in Chriſto capite curat Eccleſiæ, & in ipſo vertice componit mẽbrorum omniũ ſanitatem, in ipſa confeßionis Chriſti ſerepidine, in ipſo immobilis fidei fundamento:* in Petro ſcilicet illo, qui dixerat: *Etiam ſi me oporteat mori tecum non te negabo, &c.* quid clarius his D. Auguſtini verbis pro primatu Petri dici potuit? Mirum eſt cur Caluiniſtæ hanc poteſtatem capitis viſibilis ſummo Pontifici denegent: cùm eandem aut ſimilem Angli vicini noſtri probent. quã Regina ſibi arrogat: & re ipſa per diæceſiũ diuiſionem in Romano Pontifice agnoſcant,

ipsi vos à summo Pontifice constituta Episcoporum & parrochiarum dominia retinetis. Nunquid & Minister ipse vester capitis munere fungitur: dum in cõtumacia membra aduertit: dum pertinaces ferit anathemate: dum gregem suum distinguit ab alieno? Nunquid in presbyterijs recenter inter vos erectis, vnius apparet tanquam capitis in mẽbra imperium? in cœtibus vestris & cõgregationibus nõne præest vnus, quem moderatorem dicitis? hic vota colligit & discernit: hic sententias dicit. adeo (vt Romani olim) regem expulistis. sed regulo carere non potuistis: sũmo Pontifici visibile hoc munus inuidetis, quod inter vos vtinam inuisibile fuisset. sed huius erroris est præcipua causa odium & inuidia contra summũ Pontificem concepta. Accedit secunda ex 2
simulata doctorum auctoritate; affirmant enim hi nouatores sacros doctores, aliquando non obscurè innuere parem cũ Petro alijs Apostolis à Christo concessam esse potestatem, sed in hos falsi, facile & populum fallũt. Non

nega-

negamus, in multis eandem cæteris Apoſtolis cum Petro conceſſam eſſe poteſtatem. veluti in his quæ ad ſacrificium pertinent. *hoc facite in meam commemorationem*, quæ ad Baptiſmi adminiſtrationem & verbi Dei prędicationem: *euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos &c.* quæ inſuper ad remiſſionem peccatorum: *quæcumque ligaueritis ſuper terram, erũt ligata, & in cœlis: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* vel cum dixit: *accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis: & quorũ retinueritis, retenta ſunt.* Imo non ſolum Apoſtoli, ſed, cùm ordinantur ſimplices Sacerdotes per impoſitionem manuum, ita accipiũt Spiritum ſanctum vt virtute ordinis, tantam habeant poteſtatem dimittendi peccata, quantam ipſe ſummus Pontifex. ſed in ordinata diſpoſitione Eccleſiæ, non omnibus eadem competit iuriſdictionis poteſtas. quæ vero particularis voluit Chriſtus eſſe Petri, apertè ſignificauit: ſiue cùm dixit, *tu vocaberis Cephas*, id eſt, Petrus, ſeu petra, vel cùm

Luc. 22. Matt. 28 Marc 16. Matt. 16 Ioan. 20. Ioan. 1.

Matt.16. ait, *tu es Petrus & ſupet hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* aut cum ſubdit, *tibi dabo claueis regni cælorum*, ac deniq; cùm eadem perficiens ac adimplens ait: *paſce oues meas.* tanquam vnius gregis caput. Ex his cõſtat, Chriſtum dum certo quodã diſcrimine adhibito, quæ communia eſſent omnibus Apoſtolis, & quæ Petro tantummodo cõtuliſſet, egregiè diſtinxiſſe. nec mireris, ſi eadẽ adhibita diſtinctione, patres Aliquando dixerint omnes Apoſtolos pari fuiſſe poteſtate, aliquando Petrum cæterorum caput & principem, vt patet in ſententia ſuperius adducta ex D. Cypriano. Porrô etſi diuerſa fuerint, & ſint capita vt Paulus gentium, ac alij Eccleſiarũ particularium veluti quas commemorat D. Ioannes in ſua Apocalypſi: ac ipſe Chriſtus dicat, ſe nõ miſſum niſi ad oues ſuas quæ perierunt domus Iſraël. tamẽ in Iſraël includuntur quotquot crediderunt, credunt ac credituri ſunt. vt ſit vnum ouile & vnus paſtor, quod quidem paſtoris vniuerſalis officium Chriſtus in Petro cõſtituit. quod

Ioan. 21.

noluit

noluit in Petro extingui: ac ita gregem eſſe ſine paſtore, corpus ſine capite, ſtructurã ſine fundamento. ſed vt eius officij poteſtatem in ſucceſſores crederemus delapſam quæ in Petro repręſentabatur. ne videlicet tantum munus videretur in Petri perſonam tantummodo eſſe collatum & cum illo pariter extinctum: ſed potius in ipſum, tanquam in totius corporis caput myſticum, quod non extingueretur, ſed ſemper viueret in ſucceſſoribus. ita docet D. Aug. in pſal. 108. enarratione prima: *quædam dicuntur in Euangelio quæ ad Apoſtolum Petrum pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ipſe agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonã: propter primatum quem in diſcipulos habuit. ſicuti eſt, tibi dabo claueis regni cælorũ &c.* & huiuſmodi. quibus conſtat poteſtatem Petro datam in Eccleſia, manſiſſe & ad ſucceſſores eius deriuatam: vt iterum teſtatur epiſt. 162. ad Glorium Eleuſium fœlicem Grammaticum. & in pſal. cõtra partem Donati, *venite fratres, ſi vultis,* Matt. 15

tis, vt misereamini in vita dolor est, cũ vos videmus præciſos ita facere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo patrum quis cui ſucceſſit, videte. ipſa eſt petra quã non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. idem Aug. clarius Epiſtola 165. ad Generoſum, Donatiſtam. ad cathedrã Petri prouocat Donatiſtas: quod ſæpius præſtare ſolet. *Si*, inquit, *ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus: quãto certius & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ curam gerẽti Dominus ait: ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non vincẽt eam: Petro enim ſucceſſit Linus, Lino, Clemens: Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Alexander: Alexandro Sixtus: Sixto Theleſphorus: Theleſphoro Higinius: Higinio Anicetus: Aniceto Pius: Pio Soter: Sotero Eleutherius: Eleutherio Victor: Victori Zepherinus: Zepherino Calixtus: Calixto Veranus: Verano Pontianus: Pontiano Antherus: Anthero Fabianus: Fabiano Cornelius: Cornelio Lucius: Lucio Stephanus: Stephano Xiſtus: Xiſto Dyoniſius: Dyoniſio Fœlix: Fœlici Eutychianus: Eutychiano Gayus:*

Gayus: Gayo Marcellinus: Marcellino Marcellus: Marcello Euſebius: Euſebio Melchiades: Melchiadi Sylueſter: Sylueſtro Marcus: Marco Iulius: Iulio Liberius: Liberio Damaſus: Damaſo Sericius: Sericio Anaſtaſius. In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta inuenitur. in illius autẽ ordinem Epiſcoporũ qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem cathedram tenet. etiam ſi quiſpiam traditor per eadem illa tempora ſubrepſiſſet nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis: quibus Dominus præuidens, ait, de præpoſitis malis: quæ dicũt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. vt certa ſit ſpes fidelibus: quæ non in homine, ſed in Domino collocata: nũquã tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur. Eodem ſucceſſionis ordine, eadem poteſtate numerari poſſunt Romani Pontifices, ab Anaſtaſio ad quem duxit D. Auguſt. ſuperiorem ſucceſſionem, vſque ad Clementem Octauum qui nunc Romanæ præeſt Eccleſiæ.

Sed cùm cenſores hi Ariſtarchici conuitia euomunt in ſedem Apoſtolicam

cam: eam vocantes cathedram peſtilentiæ: audi quomodo eos perſtringat, eiſque reſpondeat D. Aug. cuius verba non corrupimus, aut mutauimus: contra literas Petiliani lib. 2. ca. 51. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet? vel Eccleſiæ Hieroſolimitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet? quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolorum? ſi propter homines quos putas. legem loqui non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait: dicunt enim & non faciunt: cathedræ in qua ſedebant vllam fecit iniuriam? nõne illã cathedram Moyſi commendauit? & illos ſeruato honore cathedræ, redarguit.* hæc D. Aug. qui ſi hoc tempore viueret nihil aptius dixiſſet contra Caluinianos Miniſtros, hoſtes præſentes Eccleſiæ Catholicæ. idipſum quoque de Petro ac de Romanæ Eccleſiæ Pontificibus teſtati ſunt, quotquot ab ipſo exordio Eccleſiæ naſcentis extiterunt Catholici

tholici doctores, aut historiographi, vel sacra Cõcilia in Spiritu sãcto legitime congregata. vnde satis mirari non possum horum nouatorum impudentiam, negantium Petrum Romæ consedisse. Orosius autem lib. 7. cap. 6. testatur D. Petrum anno Christi quadragesimo quarto Romam venisse: ibique consedisse: Prudentius hymno de Sancto Laurentio ita canit.

Discede adulter Iupiter,
Stupro sororis oblite:
Relinque Romam liberam:
Plebemque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat:
Te sanguis exturbat Petri:
Factum Neronis afficit.

Tertullianus de Prescriptionibus: loquens de Apostolorum martyrio Romæ consummato. *Fœlix*, inquit, *Ecclesia cui tantam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt. vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur.* idem alibi: *Orientem fidem*

fidem primus vero cruentauit. tum Petrus ab altero cingitur, cùm cruci affigitur. tum Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem: cùm illic renascitur generositate. D. Ioan. Chrysost. in Epistolã ad Rom. hom. 32. *Non ita cælum splendescit quando radios suos sol ex sese dimittit: quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens; hinc rapietur Paulus: hinc Petrus. considerate & horrete, quale spectaculum visura est Roma: Paulũ videlicet, repentè ex theca illa cum Petro resurgentem: in occursum Domini cursim ferri. qualem rosam Christo mittit Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista: propterea celebro hanc vrbem, non propter copiam auri: sed propter columnas illas Ecclesiæ:* Tandem D. Aug. Petrum Romæ fuisse & Simonem magum extinxisse li. de hæres. ad Quod vult Deum, hæresi prima testatur: *Iouem,* inquit, *se credi volebat (Simon Magus) Mineruam vero meretricem quandam solemnem, quam sibi sociam scelerum fecerat: imagineque, & suam & eiusdem meretricis discipulis suis petebat adorandas: quas & Roma tanquam*

Deo-

Deorum ſimulachra authoritate publica cõſtituerat in qua vrbe beatus Apoſtolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Irenæus lib.3.cap.1. *Matthæus Hebræis ipſorum lingua ſcripturam dedit Euãgelij: cum Petrus & Paulus Romæ Euangelizarent & fundarent Eccleſiam.* D.Hiero. de Viris illuſtribus: *Simon Petrus frater Andreæ Apoſtoli, & princeps Apoſtolorum poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithinia: ſecundo Claudy anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit. ibi viginti quinque annis cathedram Sacerdotalem occupauit.* Euſeb.lib. 2. Eccleſ. hiſt. *In ipſis Claudij tẽporibus clementia diuinæ prouidentiæ probatiſſimum omnium Apoſtolorum, vt maximum fidei magnificentia, vt virtutis merito primorem principem Petrum ad vrbem deduxit.* Infinitæ ſunt huius rei probationes, ſed hæ ſufficiant. cætera breuiter expediamus.

Nomen blaſphemũ, *Antichriſti*, quod ſummo Pontifici adſcribunt, lubenter *Matt. 5.*

ſilentio inuoluerem: cùm ſcriptum ſit *beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos: mẽtientes propter me &c.* Sed quoniam ad decipiendos ſimplices, vltra calumniam, & iniuriam, tanquam dogma tradunt, Papam eſſe Antichriſtum Romanum, mẽdacij huius conuincendos eſſe exiſtimaui: ſi ergo vox hæc Antichriſtus ſecundum ſignificationem græcã accipiatur, quod idem eſt quod *contra Chriſtum*: tribui potius debet antiquis hæreticis, Arrianis, Neſtorianis, ac ijs qui negabant diuinitatem Chriſti: aut Anabaptiſtis & Atheis, quàm ſummo Põtifici. ſed nullis hæreticis bellum inferunt Caluiniſtæ: omnia illorum tela & machinæ in ſolum Pontificem & Catholicos emittũtur. ſi pro homine particulari ſumatur (vt vere ſumi debet) & ita intelligẽdæ ſunt ſcripturæ, quæ nominis Antichriſti mentionem faciunt. 2. Theſ. 2. & 11. Apoc. 13. sũmo Põtifici non poſſet conuenire, quia iam 236. Antichriſti extitiſſent. tot enim prę̃terierunt ſummi Pon-

Põtifices. præterea ex ſcripturis ſecũdũ ſentẽtiam õniũ penè doctorũ Eccleſiæ, Antichriſtus regnare debet tantũ tribus annis cum dimidio,& poſteâ occidi: at iam regnarunt ſummi Pontifices annis 1536. à Chriſti paſſione. Sed vereor ne ſuo hîc gladio cadant Miniſtri.

Antichriſtꝰ ſedebit in medio veræ Eccleſiæ. Sed iam ſedet Antichriſtus in medio Eccleſiæ Romanæ.

Ergo Romana Eccleſia eſt vera Eccleſia: Maior eſt Apoſtoli, 2. Theſ. 2. & D. Aug. de ciuit. 20. c. 9. Minor eſt Miniſtrorum: nobis ergo dent concluſionem. Iã accipe quid ſentiat D. Aug. tractatu quem ſcripſit de Antichriſto. *Et reuelabitur homo peccati, Antichriſtꝰ videlicet, qui licet ſit homo, fons tamẽ erit omnium peccatorum: & filius perditionis.* & ibidem inferius, *ſicut ergo autores noſtri dicunt, Antichriſtus ex populo Iudæorum naſcetur: de tribu Dan. ſecundum Prophetam dicentem, Fiat Dan coluber in via: Ceraſtes in ſemita. ſicut enim ſerpens in via ſedebit: & in ſemita erit, vt eos qui per ſemitã ambulant, feriat; & veneno ſuæ malitiæ occidat. Naſcetur autem ex*

EX BIBL. UNIV. EDINBURGEN

ex copulatione patris & matris, ſicut alij homines. non vt aliqui dicunt, ex ſola virgine: ſed tamen totus in peccato concipietur: in peccato generabitur: in peccato naſcetur: in ipſo vero conceptionis initio, diabolus ſimul introibit in vterum matris eius, & ex virtute diaboli confouebitur & confortabitur in ventre matris & virtus diaboli ſemper cum illo erit. & ſicut in matrem Domini noſtri Spiritus ſanctus venit: eam ſua virtute obumbrauit, & diuina repleuit gratia, vt de ſancto Spiritu acciperet: vt quod naſceretur diuinū eſſet & ſanctum: ita quoque diabolus in matrem Antichriſti deſcendet, & totam eam replebit, totam circundabit, totam tenebit, & totam interius exteriuſque poſsidebit: vt diabolo per hominem cooperante concipiat: quod natum ſit, totum ſit iniquum, totum perditū. vnde & ille homo peccati, filius perditionis appelletur, quia in quātum poterit genus humanum perdet. & ipſe in nouiſsimo perdetur. Vnde clarè conſtat Antichriſtum futurum hominem particularem, nec poſſe Romanū eſſe Pontificem, vt calumniantur aduerſarij.

Cum

Cum satis superius probata sit auctoritas Petri & successorũ eius in Ecclesia Dei, quod eam potestatem habeat Papa in scripturas facile probari posset: cùm Ecclesia fuerit ante scripturas. & post Christi mortem ab Apostolis & Euangelistis conditæ sint scripturæ: & libri Noui testamenti, ex dictis Christi Iesu, & inspiratione Spiritus sancti. quas fatemur summum Pontificem non posse immutare: aut cum eis dispensare. sed si verus scripturarũ sensus sit petendus, potius ab Ecclesia, & summo Pontifice eius capite, Diui Petri successore peti debere, quàm ab vllo Caluiniano Ministro, qui suæ vocationis & potestatis alium autorem, aliudue non habet testimonium, quã assertionem propriam, & proprium bene placitum: quod sit missus à Spiritu sancto: & quod quicquid dicat, aut somniat, sit à Spiritu Sancto.

At verô Pontificem maximũ habere authoritatem in conscientias hominũ: & non solum Põtificem, sed & quemlibet sacerdotem, clarũ est in scripturis:

Math.16. *quodcũq; ſolueris ſuper terrã, erit ſolutũ & in cælis.* & Io. 20. *Accipite Spiritũ Sãctum: quorũ, remiſeritis peccata, remittũtur eis, &c.* Eſtne auctoritatem habere in conſcientias hominum, remittere peccata? aut extinctane eſt hæc poteſtas, qua Chriſtus dignatus eſt ornare & ditare Eccleſiam ſuam? aut remanet. æquiuſne eſt, remanere penes ſummos Pontifices, Epiſcopos, & ſacerdotes, ſucceſſores D. Petri, Apoſtolorum ac Diſcipulorum Chriſti, penes quos iam tot centenis annorum manſit, an penes nouatores hos Caluiniſtas? cũ Chriſtus
Matt.16 dixerit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.*

Adducunt nouatores deteſtationem *mundanæ monarchiæ, & impiæ hierarchiæ*, Summi Pontificis. Monarchicam poteſtatem talem non tribuunt Catholici Papæ, vt pro arbitrio ſuo poſſit principes, & magiſtratũ politicum & ciuilem ſtatuere & deponere. vtrumq; tamen gladium ei aſſignãt. id eſt, poteſtatem temporalem & ſpiritualẽ, qualem habet

habet ſummus & vniuerſalis paſtor in ſuum gregem: vt ſi inueniatur in grege ouis morbida, & infecta ſcabie vitiorū intollerabili, aut peſte hæreſeos, ſeu ſchiſmatis: eam deponere ac ſemouere à grege poſſit, ne reliquum gregem inficiat. ac ouem ſanam quæ in eius locum ſuccedat ſubſtituere; & hanc poteſtatem tribuunt Catholici Papæ in principes, & in magiſtratum politicum & ciuilem. Cum vero nouatores hi negant hierarchiam Eccleſiæ: vel ignorāt quid ſit hierarchia, vel inuidēt ordini, quo ſplēdet Eccleſia: in qua hierarchia ſeruatur ſuaui & ſplēdidiſſima diſpoſitione ordinis & graduum qua ſuperiores inferioribus ſupereminent: & inferiores ſuis ſubſunt, & parent ſuperioribus: quam D. Dyoniſius Areopagita in ſua cœleſti hierarchia definiuit eſſe *ordinatā omnium ſacrorum adminiſtrationē:* quam nouatores, apud quos omnia sūt confuſa: ferre non poſſunt. Et hæc ſatis ad deteſtationem Miniſtri cōtra sūmi Pōtificis primatū. Quæ & sōnia Ioānis Napeir, Baronis de Marchiſtoim mi-

noris, edita patrio idiomate ad D. Ioannis Apocalypsim refellent: Si forte is libri auctor est, an (quod potius credo) Minister Anglus nomine Guidman: Nam deliria, & blasphema in Christum & sanctæ crucis signum conuitia, & ne dicam mendacia: quæ à vicesima propositione ad finem vsque operis aspergũtur, longè à nobilis viri modestia absunt: & eius præsertim, qui maiorem in metricis Mathematicorũ spacijs, quàm in Theologiæ studijs operam posuerit.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur *omnes eius tyrannicas leges de rebus indifferentibus latas, contra nostram libertatem Christianam: Eius erroneam doctrinam contra sufficientiam verbi scripti: Officium Christi, & Sacrosanctum eius Euangelium, &c.*

DOCTOR CATHOLICVS.

OStẽ dũt Caluiniani Ministri Scoti, hac detestatione legũ, circa res indifferẽtes, vel suam inscitiam, vel odiũ in

in ſummum Pontificem : cuius leges omnes abrogatas volunt, quantumuis iuſtas: cum maior pars tam ſummi Pōtificis, quàm Imperatorum, Regum ac Rerumpublicarum ſit de rebus indifferentibus, veluti de militia, de muneribus, de politia publica: quæ quidem ante legem nullam inducebant obligationem. ita ait D. Paulus, legem *inducere præuaricationem*. Rom. 7. At debebat Miniſter Caluiniſta tyrannidem legum papiſticarum circa res indifferenteis, contra libertatem Chriſtianam, non ſolum ſimpliciter aſſerere, ſed ratione, vel exemplo, ſaltem vnico, cōprobare. ſed ſat ſcio eum id probare non poſſe. Nominat tamen leges Pontificias tyrannicas de abſtinentia â carnibus feria ſexta & Sabatho: de ieiunio quadrageſimali, de punitione eorum, qui vota continentiæ & caſtitatis frangūt. Mirum eſt ita Caluiniſtas in leges Pōtificias ſæuire: cū ipſi ſimiles proferant: vel à magiſtratu latas approbēt. volunt enim & ſtatuunt, vt in Scotia à carnibus abſtine aturferia quarta, ſexta, &

Sabatho: ac etiam in quadrageſima. At inter leges iſtas Pontificias & nouatorum horum, quas regia auctoritate muniendas curant. ea tamen eſt differentia: quod leges Papales ſtatuãt trãſgreſſores eſſe puniendos: Miniſtri autẽ Caluiniani Scoti legum iſtarum violatoribus impunitatem omnem concedant. eſſet enim horrẽdum facinus, & libertati Chriſtianæ maxime contrarium, in rebus indifferẽtibus, & præſertim in ijs, quæ ventris & Veneris ſunt, licentiam omnem non permittere: Propterea de abſtinentia à cibis nulla lex ferenda, caſtitatem aut virginitatem nec vouendam, nec poſt votum ſeruandam: quia donum Dei eſt, in poteſtate hominis minime poſitum. Sed tam verè dixiſſe potuit Miniſter, nec credendum, nec ſperandum: quia fides & ſpes dona Dei ſunt, minime poſita in poteſtate hominis. De abſtinentia à cibis & caſtitate ſeruanda, lõgè aliter docet D. Auguſt. lib. de Eccleſiaſticis dog. ca. 68. *Sacratæ verò*, inquit, *virginitati nuptias coæquare, aut pro amore caſti-*

caſtigandi corporis, abſtinentibus à viuo vel carnibus nil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani ſed Iouiniani eſt. & libro 30. cap. 5. contra Fauſtum Manichæum: *Chriſtiani, non hæretici ſed Catholici edomandi corporis cauſa propter animam, ab irrationabilibus motibus amplius humiliandi, non quod illa immũda eſſe credant non ſolum à carnibus, verum à quibuſdam terræ fructibus abſtinent. vel ſemper ſicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, ſicut per quadrageſimam fere omnes: quãto magis quiſque vel minus. ſeu voluerit, ſeu potuerit.* De delectu ciborum ferri leges, vel ob publicam vtilitatẽ & neceſſitates reip. & graues cauſas: vel ob deuotionem & vota religioſorum ordinum quid verat. Enimuero de caſtitate ſeruanda aut vouenda, de Bono cõiugali c. 25 ſic ſcribit Aug. *Cõtinentes, vel mares qui defunctis vxoribus, vel fœminæ quæ defunctis viris: vel vtrique, qui pari conſenſu continentiã Deo vouerunt, ſciant ſibi quidẽ mercedis amplius deberi, quã coniugalis caſtitas poſcit.* & de ſancta Virgine c. 12. *Nos ſecundum ſanctarũ ſcripturarũ fidem,*

fidem, ſacramque doctrinam, nec peccatum eſſe dicimus nuptias: earum tamen bonum, non ſolum infra virginalem: verum etiam infra vidualem continentiam conſtituimus: ibidem: *habeant coniugia bonum huiuſmodi: nō quia filios procreant, ſed quia honeſte, quia licite, quia pudice, quia ſocialiter procreant. & procreatos, pariter ſalubriter, inſtanter educant. quia thori fidem inuicem ſeruant: quia Sacramentum connubij non violant. hæc tamen omnia humani officij ſunt munera. virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt. & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio &c. profectō habebunt aliquid magnum præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne, &c.* Item de gratia & libero arbitrio cap. 4. *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, ita vt hoc verbum quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium.* apertius hæc docet epiſt. 89. ad Hilarium quæſt. 2. *Cum ſcirem,* inquit, *quia nemo poteſt eſſe continens niſi*

Deus

Deus det: iubet ergo Deus continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per literam, dat per ſpiritū: Quid clarius reſponderi potuit noſtris Miniſtris, pro abſtinētia à cibis, certis temporibus: & continentia ac virginitate? ſed pergamus ad reliqua.

Addunt leges, & doctrinam Papæ, eſſe *erroneam*, & *contra ſufficientiam verbi ſcripti & legis*: fortaſſe per iſta verba intelligunt: nihil eſſe credendum, ſcribendum, ſtatuendum aut faciendum, præter id quod continetur expreſsè in Biblijs. hoc enim è ſuggeſtu pronunciant, & populo inculcant. Certum eſt autem Papam & Catholicos conſtāter affirmare: nihil eſſe addendum, ſubtrahendum, aut mutandum ex ijs quæ in ſacris Biblijs continētur. fatemur quoque nec Papam, nec Eccleſiam poſſe facere nouum articulum fidei: quāuis poſſit explicare, ea eſſe fide credenda, quæ prius non habebantur de fide. Sed cùm dicunt aduerſarij, nihil eſſe ſcribendum, ſtatuendum, aut docendum quod non contineatur in ſacris Biblijs:

Biblijs: cur hoc Papæ & Catholicis exprobrāt, quod ipſi faciunt? Nam è ſuggeſtu infinita dicunt in Synagogis ſuis & congregationibus: multa ſcribunt & ſtatuunt, quorum in Sacris Biblijs nulla fit mentio. Imo ſi congererentur quæ iam ſcripſerunt & ſtatuerunt Miniſtri Caluiniani Scoti, in conſilijs ſuis, preſbyterijs, & congregationibus generalibus: non ſolum Decretorum aut Decretalium libros, aut operoſiſſima quæque Iuris Pontificij volumina ſuperarent: ſed & Talmudicum & ridiculum illud Rabinorum opus, ſi non vincerent certè adæquarent. Plura autem quam quæ in ſacris ſcripturis ſunt conſignata, deberi credi, & à Chriſtianis præſtari ipſæ ſcripturæ clariſſimē teſtātur. Math. vltimo, ait Chriſtus Apoſtolis: *Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Non omnia tamen quæ mandauit eſſe ſcripta oſtendit D. Ioan. cap. 20. *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus, in conſpectu diſcipulorum quæ nō ſunt ſcripta in libro hoc.* Subiungit ſtatim, cap. vlt. *ſunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus*

Ieſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros. Videſne Dominum Ieſum multa feciſſe, dixiſſe & tradidiſſe, quæ non ſunt ſcripta? quæ tamen nemo ſanæ mentis dicet interiiſſe: aut ab Apoſtolis non eſſe poſteris reuelata, & tradita.

Cum autem dicunt, leges Papæ eſſe contra officium Chriſti, & ipſum Euãgelium: fictitia ſunt & nugatoria ad inducendum populum contra Papam & Catholicos comparata. Nam officio Chriſti & Euangelico multo plura tribuunt Papa & Catholici, quàm aut Miniſtri, aut vllę ſectę nouatorum. Nõ enim pro libidine aut rodunt, aut auferunt, aut infirmant quicquam in ſacris Biblijs: quod eſt aduerſarijs familiare: qui ex Veteri teſtamento decurtant & infirmant librum Danielis: auferunt libros Machabęorum: multa mutant: tãtum pretextu (cum tamẽ ipſorũ multi vix latine ſciãt, quod ſequãtur Hebræum. Ex Nouo teſtamento ſubmouent Epiſtolam D. Iacobi, quam Lutherus eorum

eorum anteceſſor vocat ſtramineam: indubium vocant Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos: adulterant plura: addunt nonnulla: vt verbum, *ſolum*, dum loquuntur de iuſtificatione per fidē qualia nos plura infra articulo de peccato originali recenſebimus. hinc facile eſt videre Papam & Catholicos, qui ſacra Biblia in ſua ſemper integritate & ſynceritate retinuerunt, plus quàm aduerſarios Euāgelio tribuiſſe. Quid officio Chriſti intelligatis, nōdum didicimus: Hoc vnū certum eſt multa nos Chriſto piè concedere quæ vos adimitis. Nos Chriſtum credimus deſcendiſſe ad inferos, & eſſe fidei articulum: *Deſcendit ad inferos:* Vos cum Caluino deſcēſum hunc fabulam dicitis. vos Chriſtum inferorum voraginem cōtenditis pertimuiſſe: Nos triumphantem deſcendiſſe credimus. Vos Chriſtum damnatorum pœnas dicitis in anima pertuliſſe: Nos inferorum furias credimus viciſſe. Vos plura huiuſmodi de Chriſto impiè effingitis, quę nos vt blaſphema & impia damnamus.

MINI-

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur *corruptam eius doctrinam de peccato originis. Naturali noſtra rebellione contra legem Dei. ad eam adimplendam inhabilitate. Contra imperfectam noſtram ſanctificationem & obedientiam legi.*

DOCTOR CATHOLICVS.

PVduit aduerſarios apponere doctrinam ſuam abſurdam, de peccato originali: de iſta (vt vocãt) naturali infirmitate & rebellione contra legem Dei. Docent enim cum Pelagianis, iamdiu refutatis & condemnatis hæreticis: natos ex ſuis ſãctis (ſi dijs placet) & prędeſtinatis non contrahere peccatũ originale. Et cõcupiſcentiam quæ remanet, etiam in regeneratis poſt Baptiſmum, quam nominant naturalem infirmitatem & rebellionem contra legem Dei, eſſe peccatum: & quia continuò remanet naturaliter in homine iſta concupiſcentia imitans hominem ad peccãdum: dicunt aduerſarij, hominem neceſſariô peccare: hinc hominem non poſſe ſeruare legem Dei: mandata Dei eſſe impoſſibilia, nec ſeruari poſſe: De-

† um esse auctorem peccati: hominem non habere liberum arbitrium ad bonum: quia libero arbitrio non potest compescere aut impedire concupiscẽtiam. Cum Pelagio tollunt Caluinistæ † peccatum originis: contra Pelagium tollunt quoque liberum arbitrium: cui plus æquo tribuit Pelagius, per se sufficientem existimans ad vitam æternam consequendam: quam doctrinam manifestissime repugnare Scripturæ, doctrinæ patrum, & rationi docet doctissimè D. Augustinus; dum contra hos Pelagij errores disputat & contra eandem est constans sententia Catholicorum: quam in hac fidei confessione secta Caluiniana detestatur. Docet enim Ecclesia Catholica, omnes nasci in peccato originali: & liberum arbitrium per se quidem, nihil boni facere posse sine gratia & auxilio diuino: & concupiscẽtiam naturalem post Baptismum remanentem, non esse peccatum: quia non est voluntaria, aut subiecta libero arbitrio: sine quo nec vitium, nec † virtus esse poterit. Relinqui autem cõcupis-

cupiſcentiam in homine poſt Baptiſmum, ita diſponente diuina prouidentia, vt intelligat homo ex hac repugnantia cum ratione & lege diuina, vnde exciderit, & intelligendo imbecillitatem ſuam, recurrat ad diuinum auxilium ſine quo nihil poteſt humana mortalitas, & quo iuuãte omnia poteſt. *Phil. 4.* *omnia poſſũ* (inquit D. Paulus) *in eo qui me cõfortat Chriſtus.* Cõcupiſcentia, ab eodem D. Paulo vocatur peccatum: quia 1 à peccato eſt, & 2 quia eſt effectus peccati, 3 quia incitat ad peccandum. & ſi ei cõſentiatur, 4 parit peccatum. Cum Catholicorum ſententia ſtant Scriptura & omnes patres, & expreſſiſſime D. Auguſt. quem ego vnum (vti aduerſarijs acceptiſſimum) pro multis adducam D. Paulus ad Rom. 5. ſit ſcribit. *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Dicit ſcriptura: *in quo omnes peccauerũt.* Reſpondet Caluiniſta: *exceptis paruulis, natis & ſanctis noſtræ ſectæ.* Elige modo, cui credendum: an D.

Paulo, an aduerſario noſtro. Præterea, ſi naſci ex fidelibus tollit peccatum: debet quoque & tollere mortem: ſublata enim cauſa tollitur effectus. Mortem autem eſſe effectum peccati docet D. Paulus. *Stipendium peccati mors.* Sed iam D. Auguſt. audiamus: Epiſt. 105. contra Pelagianos ad Xiſtum: prope finem. *Veruntamen ſecundum iſtam ſuam calliditatem, non inueniunt quid ad hoc reſpondeãt: quòd exorciſantur, & exſufflantur infantes. hoc enim procul dubio fallaciter fit, ſi Diabolus eis non dominatur: ſi autem dominatur: & ideo non fallaciter exorciſantur & exſufflãtur: per quid dominatur niſi per peccatum, Princeps vtique peccatorum?* Hic multa dicuntur contra Caluiniſtas: coniurationes & expulſiones dæmonum fieri per exorciſmos, & exſufflationes: præter materiam & formam Baptiſmi, ritus & cæremonias adhiberi. Sed ad B. Auguſt. lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 3. *Pro magnitudine culpæ illius naturam damnatio mutauit in peius: vt quod pœnaliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter ſequeretur*

Rom. 6.

in

in naſcentibus cæteris. Sed hæc omnia apertius lib. de Prædeſtinat. & gratia, cap. 3. *Vitiatæ radicis macula ita propaginis traditæ per generationum ſarmenta diffuſa eſt : vt nec infans quidem vnius diei , à culpa ſit primæ prævaricationis alienus : niſi per indebitam Saluatoris gratiam fuerit liberatus. Quod ſi nec quidem ſine peccato eſt , qui proprium habere non potuit : conficitur vt illud traxerit alienum : de quo Apoſtolus dicit , per vnum hominem peccatum intrauit in mundum : & per peccatum mors : & ita in omnes homines pertranſiit : in quo omnes peccauerunt. quod qui negat , negat profecto primum nos eſſe mortales. Si enim, vt dicit Apoſtolus per vnum hominem peccatum intrauit in mundum : & per peccatum mors. mors intrare non potuit niſi intrante peccato : & quoniam mors non naturæ conditio , ſed pœna peccati : ſequatur neceſſe eſt pœna peccatum: quia verò in omnes homines mors pertranſiit : in omnes neceſſe eſt pertranſiiſſe peccatum.* Peccatum verò non remanere poſt Baptiſmum : & concupiſcentiam

ſeu repugnantiam cum lege mentis, non eſſe peccatum: cur tamen vocetur peccatum docet D. Auguſt. Contra Iulianum Pelagianum lib. 6 cap. 5 non longe à fine: *Tu autem* (inquit) *qui putas quod ſi malum eſſet concupiſcentia, careret ea qui baptizatur, multum erras: omni enim peccato caret: non omni malo. quod planius ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. numquid caret corruptione corporis? an non eſt malum, quod aggrauat animam? & errauit qui dixit. Corpus enim corruptibile aggrauat animã? Numquid caret ignorantiæ malo: per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala? An paruum malum eſt, per quod homo non percipit ea quæ Dei ſunt?* Et paulo poſt: *Horum itaque malorum præteritus omnis reatus ſacro fonte diluitur. Remittũtur ergo in renaſcentibus, minuũturin perficientibus: ignorantia minuitur veritate magis magiſque lucente: concupiſcentia minuitur charitate magis magiſque feruente.* Et in eodem lib 6. ca. 11. *Iam non ego operor illud: ſed id quod in me habitat peccatum. iam enim motus deſideriorum malo-*

rum

rum non ipſe operabatur, quibus non conſentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine quod in illo habitabat ipſam nuncupabat concupiſcentiam: quia peccato facta eſt: & ſi conſentientem traxerit atque illexerit, cõcipit pariter peccatum. Et Serm. 6. de Verbis Apoſto. *Peccati nomine appellat, vnde oriuntur cuncta peccata: id eſt, ex carnali concupiſcentia. quicquid eſt enim peccatorum: in dictis, in factis, in cogitationibus: non exoriuntur niſi ex mala cupiditate: non oriuntur niſi & illicita delectatione. Huic ergo illicitæ delectationi ſi reſiſtimus, ſi non conſentiamus, ſi membra velut arma non miniſtremus: non regnat peccatum in noſtro mortali corpore. Peccatum in hac vita regnum perdit, in alia perit.* Iterum de Nuptijs & concupiſcent. *Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta eſt: cum iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicut vocatur lingua locutio, quam fecit lingua. & manus vocatur ſcriptura, quam fecit manus. Neque ſic vocatur peccatum: quia peccatum, ſi viuit, facit. ſicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigro fiat, ſed quia pigros faciat.* Idem Auguſt. contra duas

epiſtolas Pelagian. lib. 1. cap. 3. contra aduerſarios à parte: docet, filios etiam ſanctorum, ſeu prædeſtinatorum (ſi dijs placet) Caluiniſtarum. contrahere peccatum originis: *Et iſta* (inquit) *carnis concupiſcentia in Baptiſmo ſic dimittitur; vt quamquam tracta ſit à naſcentibus. nihil noceat renaſcentibus. ex quibus tamen ſi filios carnaliter gignunt, rurſus trahitur: rurſuſque & nocitura naſcentibus, niſi eadem forma renaſcentis remittatur: & infit, nihil obfutura vitæ futuræ: quoniam reatus eius generatione tractus, regeneratione dimiſſus eſt.* Ad illud D. Paul. 1. Corinth. 7. *Iam filij veſtri mundi ſunt.* Verum eſt: ſed per Baptiſmum & regenerationem. Non enim dicit D. Paulus: Sanctos eſſe aut mũdos in vẽtre matris: aut quod naſcantur ſine peccato, vt docent Miniſtri Caluiniſtæ. Imò clamat Propheta, Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum & in peccatis concepit me mater mea.* Sed iam ad reliqua.

Mandata Dei non eſſe impoſſibilia ſeruatu: aut Deum non eſſe auctorem peccati docet ipſe Chriſtus: dum inui-

tat

tat homines, vt ab eo discant: *Quia mitis est & humilis corde*: Et *iugum eius* esse *suaue, & onus* eius *leue*. non graue & impossibile, vt blasphemant aduersarij. Ita ait Deus Deuteron. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, &c. Sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo vt facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo, vitam & bonum: & è contrario mortem & malum: vt diligas dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & custodias mandata illius ac cæremonias atq; iudicia, & viuas, &c.* Idē docet D. Aug. de natura & grat. c. 42. *Non igitur Deus impossibilia iubet sed amando admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et ad Articulos illi falsò impositos Artic. 10. docet Deum non esse auctorem peccati. *Detestanda* (inquit) *& abominãda opinio est, quæ Deum cuiusquam malæ volũtatis, aut malæ actionis credit auctorẽ: cuius prædestinatio nunquã extra bonitatẽ: nũquã extra iustitiã est: vniuersæ enim viæ domini misericordia & veritas: adulteria enim* Matt. 11.

matronarum, & corruptelas virginum non instruere nouit sancta diuinitas, sed damnare. non disponere, sed punire, quæ mala cùm homines admittunt, suis concupiscentijs & cupiditatibus seruiunt, quæ ab illa prima prævaricationis voluntariæ labe traxerunt.

De libero arbittio putant Aduersarij D. Augustpro se stare: quoniam vehementem reperiunt contra Pelagium: qui docuit hominem naturali vi liberi arbitrij, sine gratia Dei, posse salutem consequi. Sed ipsi dum falluntur, alios fallunt. Nam longè alia est D. August. sententia: qui quamuis doceat hominē per liberum arbitrium, ex se non posse bene operari, nō tamen negat liberum arbitrium in bono. tamen lib. 3. Hypogno. constanter affirmat, eum qui liberum arbitrium negauerit non esse Catholicum: Idem docet. de vera Religione, cap. 14. *Et quoniam* (inquit) *peccari nō dubium est, nec quidem dubitandum. video habere animas liberum voluntātis arbitriū: tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit: si ei seruirēt liberaliter. quod nullo modo fieri posset, si nō voluntate sed necessitate*

tate ſeruirent. Et in Act. cũ Felice Manichæo, l. 2. c. 8. *Qui cõcipiunt timorẽ Dei, & per liberum arbitrium ſubdunt ſe ſanandos optimo medico: & ſicut bono curatori, ita & miſericordi creatori, per humilitatem confeſſionis & pœnitentiæ ſanantur.* Et in expoſitione quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. Propoſitione 44. *Libero autem* (inquit) *arbitrio habet vt credat liberè, & accipiat gratiam: vt iam illam qui eam donat liberante & adiuuante non peccet: atque ita deſinat eſſe ſub lege implens eam charitate Dei, quod timore nõ poterat.*

Hoc autẽ quod per peccatum Adæ perdidit homo, fuit libertas illa, quæ fuit in Paradiſo: & quæ eſt ad bene agendum ſine ſpeciali gratia & auxilio diuino. nõ tamen perdidit liberum arbitrium. Id docet D. Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagij, cap. 5. *Peccato Adam liberum arbitrium de hominum natura periiſſe non dicimus: ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo. Ad bene autem piéque viuendum, non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata:*

berata: & ad omne bonũ actionis, ſermonis, cogitationis adiuta. Et cõtra duas Epiſtol. Pelagij l.1.c.2. *Quis autẽ noſtrũ dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitriũ de humano genere? libertas quidẽ perijt per peccatum. ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenã cum immortalitate iuſtitiã. propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino: Si vos filius liberauerit, tũc vere liberi eritis:* Vtiq; liberi ad bene iuſtéq; viuẽdũ. Ita enim definiuit D. Aug. voluntatẽ, l. de Duabus animabus, contra Manichæos. c.10 *Voluntas eſt animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel amittendum vel adipiſcendũ.* Tandem li. Octoginta triũ quęſtionũ, quęſt. 24. *Meritũ pœnæ peccatũ: & meritum præmij rectè factũ eſt? nec peccatũ: nec rectè factũ imputari cuiquã iuſtè poteſt, qui nihil fecerit propria volũtate. Eſt igitur peccatũ & rectè factũ in libero voluntatis arbitrio.* Præcipit ſimiliter multa & prohibet Deꝰ in Veteri & Nouo teſtamẽto, quod fruſtra fieret, ſi homo liberã non haberet volũtatem, ea præſtãdi quæ imperãtur: aut fugiẽdi, quę prohibẽtur: hęc ad explicandũ Catholicorũ ſententiam ſint ſatis. Et quo-

niã in hac materia liberi arbitrij multus eſt quidã Robertus Rollocus Scotus in tractatu quem ſcripſit de Efficaci vocatione, qui & plus cæteris ſapere viſus eſt. operæpretiũ exiſtimaui, de erroribus quos falſo Catholicis imponit, inſigniores hic nonnullos attexere. oppoſita ſemper paribus ſentẽtijs Catholicorũ vera ſententia. Parcerẽ certe homini in Catholicorũ librorũ veterumque patrũ lectione parum verſato: niſi ſpecies probitatis, qua cæteris videtur præcellere, tantã in populi mẽtibus opinionem impreſſiſſet, vt Caluinianæ quaſi ſectæ apud ſuos cẽſeatur Oraculũ. Et quo res tota conſpiciatur clarius, imprimis plenã Catholicorũ ſentẽtiam ſtatuã. Affirmãt Catholici liberũ arbitrium eſſe facultatẽ quãdã volũtatis & rationis, qua quis liberẽ operatur: ſoloſque & omnes rationis participes eam naturaliter poſſidere. & ideo conuenire Deo, Angelis, Dęmonibus, atq; hominibus. Et quãuis ex ſe, nec ſit virtus nec vitiũ: nullã tamen virtutem, aut vitium ſine ea poſſideri: ſicut nec ſine volũtate

R. Rollocus.

cuius

cuius facultas quædam eſt liberum arbitrium: aut ſi vis clarius: cùm ipſamet voluntas ſit liberum arbitrium: & propterea actiones omnes tam virtutum quàm vitiorum eſſe voluntarias & liberas. niſi vel excedant facultatem potentiæ exequẽtis, vt in homine volare. Vel facultatem rationis imperantis, vt motus primi & repentini. Docent præterea Catholici, (vt ex ſupra citatis D. Auguſtini locis licet cernere) per peccatum primi parẽtis poſteros eius non perdidiſſe liberum arbitrium, ſicut nec perdiderunt voluntatem aut intellectum: ſed vt ſignificatur Luc 10. in Samaritano ab Hieruſalẽ in Hierico deſcendente, qui incidit in latrones, qui & ſpoliauerunt, & ſemiuiuum plagis affectum reliquerunt. Sic ex caſu primi parentis ſpoliata eſt poſteritas gratuitis, hominem iuſtum, ſanctum & rectũ facientibus: & in naturalibus, voluntate, intellectu & libero arbitrio læſa: non eſt penitus ſpoliata: ita tamen vulneribus affecta & debilitata: vt ſine noua gratia Dei, & auxilio ſpeciali nil poſſit efficere,

efficere, quod eam iuſtam ſanctam, rectam aut Deo gratam reddere valeat. Et cùm liberum arbitrium ſit perfectio quædam, quæ reperitur in Deo & Beatis, ex natura ſua nõ eſt ordinatum niſi in bonum: nec vmquam intẽdit in malum, niſi ſub aliqua ratione boni. Hæc Catholicorum eſt doctrina de libero arbitrio: quæ propterea Caluiniſtis non eſt grata: quia putant arbitrium non poſſe conſiſtere cum præſcientia Dei: quæ infallibilis eſt: nec poteſt aliud fieri quàm quod Deus ante futurum præſciuit. Sed falluntur. Nam præſcientia diuina, qua Deus ex omni æternitate præſciuit ſe creaturum mundum, & miſſurum filium ſuum in mundum, & electurum Apoſtolos, & id genus infinita, infallibilis etiã eſt; & tamen Deus liberè creauit mundum, & liberè miſit filium ſuum, & liberè elegit Apoſtolos. Ergo præſcientia diuina infallibilis non pugnat cum libero arbitrio. Secundò fatẽtur Caluiniſtæ, hominem ante lapſum, in ſtatu innocentiæ, præditũ fuiſſe libero arbitrio: vt ſcriptum legimus,

Eccl.

Eccl.15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui &c.* Atqui etiam Deus habebat præscientiam eorum quæ homo in statu innocentiæ, ante lapsum facturus erat: ergo præscientia Dei non destruit libertatem. Ratio est: quia præscientia Dei non necessitat, neque determinat nostras voluntates: vt docet D. Hierony. in ca. 26. Hieremiæ, explicans illud, *si fortè audiant. Liberum*, inquit, *hominis seruatur arbitrium, ne ex præscientia eius, quasi ex necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus nouit. quasi præscius futurorum*, quæ omnia rectius intellexissent Caluinistæ, si neglecta praua illa quæ duxit deuios opinione sua, ad Scholasticorum (qui vocantur) Theologorũ libros diuertissent. Sed ad Rolloci figmenta & mendacia redeamus: quæ nos breuiter, notatis paginis & capitib°, libri Edinburgi emissi apud Robertum Voldegraue, anno 1597. in succinctas propositiones redigemus. diligentius

gentius eiuſdem operis examẽ illi, qui ex profeſſo hanc curam ſuſcepit relinquentes. Eſt igitur primum mẽdacium eiuſdem tractatus cap. 1. pag. 4. in hunc ſenſum.

ROLLOCVS.

Aiunt Papiſtæ primam gratiam & Spiritus ſancti operationem eſſe exſuſcitationem bonitatis & ſanctitatis quę manſit in natura hominis poſt lapſum. *Mend. 1.*

CATHOLICI.

Contra: Prima gratia & Spiritus ſancti operatio nõ eſt exſuſcitatio bonitatis & ſanctitatis, in natura hominis poſt lapſum relictę. Iuſtificationis enim ſanctitas poſt lapſum, in homine non manſit: quamuis non omnia ſancta amiſerit: nam per lapſum, nec fidem, nec ſpem amiſit. Omnia tamen amiſit hominem Deo gratũ efficientia: ad Sanctitatem vero iuſtificationis nos excitat Spiritus ſanctus.

ROLLOCVS, *Ibidem.*

Papiſtæ libertatem arbitrij vocant, exſuſcitationem bonitatis & ſanctitatis quæ manſit in natura poſt lapſum. *Mend. 2.*

CATHOLICI.

Contra: Vocant liberum arbitrium, facultatem quandam voluntatis & rationis, qua voluntas liberè operatur: nō exſuſcitationem illā quam fingit Rollocus.

ROLLOCVS, *Ibidem pag. 5.*

Mend. 3. Papiſtæ operationem tribuunt gratiæ: cooperationem libero arbitrio.

CATHOLICI.

Contra: Tribuunt cooperationem gratiæ & libero arbitrio: nunquam libero arbitrio ſoli: quod conſtat: quia diuidunt gratiam in operantem & cooperantem.

ROLLOCVS.

Principalis agens ſecundum Papiſtas *Mend.* 4. in actione & motione Spiritus, eſt libertas arbitrij; quæ præit & operatur: motus autem Spiritus ſubſequitur & cooperatur.

CATHOLICI.

Contra: Libertas arbitrij ſemper habet gratiam præuenientem, antequam quicquam boni cooperari poſſit: & cooperātem ſimul, quādo operatur bona.

ROL-

ROLLOCVS, *Ibidem.*

Papistæ substituunt motionẽ quandam foris stantem, & pulsantem loco Spiritus sancti. *Mend. 5.*

CATHOLICI.

Contra: omnem motionem bonam voluntatis & liberi arbitrij tribuunt gratiæ Dei & Spiritui sancto.

ROLLOCVS, *cap. 5. pag. 50.*

Papistæ fundamentum meriti statuunt liberum arbitrium. *Mend. 6.*

CATHOLICI.

Contra: Statuunt fundamentum meriti passionem & merita Christi: ex quibus humana merita hauriunt suam virtutem.

ROLLOCVS.

Papistæ pugnant contra solũ Christum, ipsiusque meritum: aduersus meram Dei gratiam: & in Christo misericordiam. *Mend. 7.*

CATHOLICI.

Contra: Plus tribuũt meritis & gratiæ Christi, quàm Rollocus aut Caluinistæ: nam Caluinistæ ita passionem & merita arctant, vt prodesse negent nisi

imputatiuè: Catholici ita gratiã Christi, & eius merita abundare & affluere fatentur, vt opera etiam hominum in gratia facta reddat meritoria.

ROLLOCVS, *Ibidẽ: quinq; mendacia astruit.*

Mend. 8. Papistarum, inquit, admirabilis cæcitas: Primum non vident naturam hominis planè proditam, quod pertinet ad sanctitatem.

9. 2. Non vident solam, meramque Dei in Christo gratiam, & misericordiam: nec magnitudinem meriti Iesu Christi.

10. 3. Non vident ijs qui in Christo sunt, plane abolitum fœdus illud operum, quoad iustificationem.

11. 4. Non vidẽt solum illud fœdus gratiæ cum hominibus post lapsum percussum esse: præsertim post Christi aduentum in Euangelio suo: idque ad iustificationem & vitam æternam.

12. 5. Non vident opera, quæ ipsi vocant libertates arbitrij, si quæ essent huiusmodi, officia duntaxat esse, & testimonia gratitudinis secundum primam illã institutionem fœderis operũ, quæ fiunt ex naturæ viribus.

CA-

CATHOLICI.

Cantra:Omnia hæc probè vident:& mendacia eſſe, vanamque Rolloci iactantiam agnoſcunt: cum expreſſe pugnent omnia cum ijs quæ nos ſupra fuſe expreſſimus.

ROLLOCVS, *Ibid.pag.51. & 52.*

Papiſtæ ex parte aliqua ſtant à Iudæis, pugnantque pro natura aduerſus meram gratiam. *Mend.13*

CATHOLICI.

Contra:Iudaïſmum reſpuunt,Chriſto,gratiæ & naturæ tribuunt quæ ſua ſunt.

ROLLOCVS.

Papiſtæ partiuntur quaſi iuſtificationem,& ſalutem humanam,inter Chriſtum gratiamque Dei & naturæ vires, naturæque opera:cum tamẽ nullo modo poſſint cõſiſtere in opere ſalutis humanæ natura & gratia. *Mend.14*

CATHOLICI.

Contra: Solum Chriſtum agnoſcunt Saluatorem generis humani: & quamuis natura ex ſe ſine gratia nihil prodeſſe poterit in iuſtificatione:

tamen vt ex iusto quis fiat iustior, eam non sentiunt excludendā. Gratia enim
" non destruit naturam, sed eam perficit & corroborat, quod ex se præstare nō possit, gratia Dei erecta operetur.

ROLLOCVS.

Mend.15 Papistæ Iudæis simillimi sunt, qui Christo solo non contenti, cum eo legem coniunxerunt.

CATHOLICI.

Contra: Legem Iudaïcam & opera legis, contra quæ disputat D. Paulus ad Rom. & Galat. nō agnoscunt. Opera verò gratiæ & charitatis cum D. Paulo amplectuntur.

ROLLOCVS, *cap. 13. p. 101.*

Mend.16 Papistæ scripturarum simplicem necessitatem negant.

CATHOLICI.

Contra: Non negant simplicē scripturarum necessitatem: sed fatentur scripturas ab Ecclesia esse receptas: & ideo nobis authenticas, & Ecclesiæ authoritate firmatas: quasdam verò scripturas ab ea declaratas apocriphas: alias verò penitus reiectas.

ROL-

ROLLOCVS, *cap.13.pag.101.*

Papistę dicunt Scripturam mutilam & mancam esse. *Med.17.*

CATHOLICI.

Contra: Non dicunt scripturã mutilam aut mancam esse, licet dicant multa alia esse credenda quàm quæ in scripturis continentur: quod etiam nos docet Ioan. Euangelista, cap. vlt. *Sunt & alia multa quæ fecit Iesus, &c.*

ROLLOCVS.

Qui vertunt Scripturam in linguam vulgarem à Papa sunt proscripti: ipsi verò libri versi prohibiti, & exusti. *Mend. 18*

CATHOLICI.

Contra: Non prohibent, nec vllus vmquam Papa prohibuit Scripturam in linguam vulgarem vertere: sed quoniam plerique rudes & temerarij ex lectione scripturæ in lingua vulgari siniſtras concipiũt opiniones & errores: Papa prohibet ne eius lectio omnibus promiscuè permittatur: Sed vt id fiat ex licentia Episcopi: & ijs solis concedatur, qui ex eius lectione possint sine suo aut aliorum detrimento proficere.

ROLLOCVS, *cap.36 pag.293.*

Mend.19 Papistæ pœnitentiæ principalem efficientem causam tradunt libertatem arbitrij & naturæ vires excitatas per gratiam præuenientem.

CATHOLICI.

Contra: Pœnitentiæ causam principalem, sicut omnium actionum humanarum Deo placentium assignant Deo ipsi per gratiam suam. Dicunt præterea gratiam in actionibus Deo gratis hoc efficere, quod anima in homine: quæ etsi sine corpore in hac vita nõ operatur, actionibus tamen humanis ipsa vitam & vigorem præbet.

ROLLOCVS.

Mend.20 Papistæ dicunt gratiam tantum adiutricem in pœnitentia.

CATHOLICI.

Contra: Gratiam assignant causam principalem efficientem in pœnitẽtia, & õnibus actionibus quę Deo placent.

ROLLOCVS, *cap. 37. p.301.*

Mend.21 Quinq; mẽdacijs Catholicos onerat. 1. Papistæ fidem, spem & resipiscentiã tribuunt libertati voluntatis nostræ tãquam

quam principali agenti.

2. Gratię ſecundum locum in fide, ſpe & pœnitentia efficienda aſſignant. *Mēd.22.*

3. Homo beneficio liberi arbitrij, credit ſperat, & pœnitet peccati ſui. *Mend.23*

4. Gratiam tantum coadiutricem & cooperatricem dicunt liberi arbitrij. *Mend.24*

5. Liberum arbitrium eſt principale quod operatur in credēdo, ſperādo & pœnitendo. *Mend.25*

CATHOLICI.

Contra: Propoſitiones iſtis quinque contrarias, veras eſſe affirmant. vt per Canones Concilij Tridentini expreſſè apparet.

ROLLOCVS. *cap.38.pag.331.*

Papiſtæ nullum ex his beneficium, non vocationem, non iuſtificationem, non glorificationem: nullum denique ex his omnibus beneficijs quę in tempore nobis conferuntur, ſoli Dei gratię tribuunt: verum ea inter gratiam Dei, & libertatem noſtram, operaque noſtra meritoria diſtribuunt. *Mend.26*

CATHOLICI.

Contra: Eandem cum D. Auguſtino doctri-

doctrinam tuentur: Qui tria ſtatuit:
1 Primum Deum multa in nobis operari ſine nobis. vt primam iuſtificationem, inſpirationes, & motus multos bonos: quod tamen nobis inuitis nō facit: ſed
1 ex nolentibus facit volentes. Secundū:
2 Deum multa in nobis operari, ſed non ſine nobis: vt ſecundam iuſtificationē, & eiuſdem incrementa. multa bona opera meritoria. Ita D. Ioan. Appocal. 22. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus ſanctificetur adhuc.* Tertium Ho-
3 minem multa operari ſine Deo: ſed nō niſi mala. Tribuunt igitur Catholici Deo, eiuſq, gratiæ plurima beneficia, quæ & ſine homine, & per hominem in homine operatur.

ROLLOCVS.

Papiſtæ ſi comparatio Dei & noſtri fiat, in diuinis officijs conferendis: plus tribuunt nobis: libertati noſtræ: & ope-
Mend. 27 ribus noſtris, quàm gratiæ diuinæ.

CATHOLICI.

Contra: Tantum abeſt vt plus tribuant operibus ſuis quàm gratiæ diuinæ: vt non ſolum dicant gratiam Dei eſſe

esse causam præcipuam omnium bonorum operum: sed etiam nulla opera bona posse esse Deo grata & accepta, nisi mediante & concomitante gratia eius: Imò affirmant omnia opera bona esse Dei dona. Sed de mendacijs hactenus.

Si tot exiguo hoc tractaculo mendacia Rollocus qui Ministrorum habitus est modestissimus cõgessit: quid à cætera turba fieri credendum est? Quibus ego certè, quod Aristoteles mentientibus tribuendum censeo: vt etiam dum vera dicunt vix eis credatur. Nos eò vnde nos deduxit Rollocus redeamus. Clarum est ex adductis à nobis, omnes nasci infectos peccato originali, quod in Baptismo deletur: ac concupiscentiam post Baptismum remanentem nõ esse peccatum: & quamuis necessario maneat: non ideo hominem necessario peccare: aut impossibile esse vt quis legem Dei seruet: aut Deum esse causam aut auctorem peccati: ac hominem tandem non carere libero arbitrio: Sed eandem hîc Nouatorum

quam

quam & in alijs ſcripturæ locis vſurpant, arrogantiam agnoſco, omnia immutandi, addendo vel demendo pro arbitrio: vt enim de Traditionibus inquit Apoſtol. 2. ad Theſſal. 2. *State & tenete traditiones*: clamat Nouator, nullas eſſe traditiones: De ſanctiſſimo Sacramento: Luc. 22. Matt. 26. Mar. 14. 1. Corinth. 11. *Hoc eſt corpus meum.* Vociferatur Nouator: hoc nō eſt corpus Chriſti, ſed ſignum aut figura corporis Chriſti: ita hac materia: de Baptiſmo teſtatur Scriptura: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Affirmat Nouator, infantes fidelium non renatos intrare in regnum cœlorum. De peccato originali, dicit Apoſtol. Rom. 5. *Per vnum hominem in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*: Cōtra ſtat Nouator, infantes nati ex fidelibus, & ſuis prædeſtinatis in Adam non peccauerunt. De prædeſtinatione ait Scriptura. Eccl. 9. *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit.* Contra Nouator, Nouit fidelis noſtræ ſectæ, certitudine fidei, quod ſit prædeſtinatus.

ſtinatus. Ita cum in vna ſyllaba, NON, conſiſtant omnia : eam nulla ratione, aut Scripturæ autoritate, ſed impellente ſuo aſſerto ſpiritu, dum addunt aut demunt, id efficiunt, vt miſeri eorum ſectatores affirment & iurẽt eſſe à Spiritu ſancto: quæ ipſi ſibi finxerunt ſomnia. Nunc ad alias deteſtationes.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur erroneam eius doctrinam contra iuſtificationem & ſola fide.

DOCTOR CATHOLICVS.

NVmquam reperient aduerſarij in ſacris litteris hominẽ iuſtum eſſe per ſolam fidem. Imo cõtrarium habetur Iac. 2. *Non ex fide tãtum.* Et ideo meritô Catholici hoc negãt. Fatemur quidem in ſcripturis, iuſtificationẽ tribui aliquando fidei, aliquando ſpei, charitati, timori, aut operibus pœnitentiæ. Doctrina Catholicorũ de iuſtificatione hæc eſt : Iuſtificationem eſſe per Chriſtum : & primam noſtram iuſtificationem peccatorumq; remiſſionem nulla præcedere bene merita: & de hac loquuntur ſcripturæ tam veteris quàm Noui

Noui teſtamẽti, varijs in locis. ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redẽptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* ad Titum. 3. *Vt iuſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Et hæc eſt iuſtificatio quam tantopere iactant Miniſtri Caluiniſtæ, & attribuunt ſoli fidei. Hominem nõ iuſtificari ſola fide docet D. Aug. li. de Fide & operib. c. 14. *Quare iam illud videamus quod excutiendum eſt cordibus religioſis: ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant: ſi ad eam obtinendam ſufficere ſolum fidem putauerint. Bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.* Imo Auguſt. li. de Hæreſ. ad quod vult Deum, Hæreſi 54. ait, hanc fuiſſe hæreſim Eunomij: *qui fertur vſque adeo fuiſſe bonis operibus inimicus, vt aſſeueraret, nihil cuiquam obeſſe quorumlibet perpetrationem ac perſeuerantiam peccatorum. ſi huius quæ ab illo docebatur fidei particeps eſſet.* Idem nunc dicunt Caluiniſtæ Scoti eius ſectatores. & ideo merito cum Eunomio vetere hæretico ſunt explodendi. Iuſtificatio autem qua quis ex iuſto fit iuſtior adſcri-

ſcribitur bonis operibus. Ita Apoſtol. ad Rom. 2. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum: ſed factores legis iuſtificabuntur.* Iac. 2. *Abraham pater noſter, nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altari?* Apocal. 22. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Iuſtificatio tribuitur fidei: Ad Rom. 1. *Iuſtus autem ex fide viuit.* Tribuitur Spei: Rom. 8. *Spe enim ſalui facti ſumus.* Tribuitur charitati, Prouerb. 12. *Et vniuerſa delicta operit charitas.* Tribuitur timori: Eccleſiaſt. 1. *Timor domini expellit peccatū. Nam qui ſine timore eſt non poterit iuſtificari.* Tribuitur operibus pœnitētiæ, vt in pœnitētia Marię Magdalenæ, Luc. 7. filij prodigi, Luc. 16. Publicani, Luc. 18. Ex hac doctrina conſtat, qua ratione iuſtificetur homo: non certè per ſolam fidem vt comminiſcūtur Miniſtri.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur erroneam eius doctrinam de natura, numero, & vſu ſanctorum Sacramentorum: deteſtamur pariter quinque eius

ſpuria

ſpuria Sacramento: omnes eius ritus & ceremonias: falſam eius doctrinam vererũ Sacramentorum miniſtrationis ſine verbo Dei additam: Crudele eius iudicium contra infantes ſine Baptiſmi Sacramento mortuos: abſolutam eiuſdem Baptiſmi neceſſitatem.

DOCTOR CATHOLICVS.

FAcile ab Eccleſia Catholica tollunt Caluiniſtæ Sacramenta à Chriſto domino inſtituta: ſeu vaſa quibus gratiam ſuam animabus noſtris infundit. Tollunt, inquam, verbo quinque, ſed facto ipſo, omnia. Nam duorum quæ reſeruãt Baptiſmi, ſcilicet, & ſacræ Euchariſtię tollunt effectum: docent enim nuda eſſe ſigna exteriora: nulla peccata delẽtia: nullam gratiã conferentia, nec eſſe ad ſalutem neceſſaria. At Chriſtus dominus eiuſque Eccleſia Catholica, docet ſeptem eſſe Sacramenta, ab ipſo Chriſto inſtituta: gratiam & iuſtificationem afferentia: ſi quis ijs legittimè vtatur. Baptiſmum, videlicet, cõfirmationem, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Ordinem, Matrimonium, Extremam vnctio-

vnctionem. Ita quoque docet D. Aug. de doctrina Christiana. lib. 3. cap. 9. *Posteaquam resurrectione domini nostri Iesu Christi manifestissimum iudicium nostræ libertatis illuxit: nec eorum quidem signorum quæ iam intelligimus, oneratione graui onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, obseruantia castissima ipse dominus Apostolica tradidit disciplina: quæ vnusquisque cum percipit quo referantur imbutus agnoscit. vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate veneretur.* De horũ Sacramentorũ virtute sic loquitur idẽ Aug. lib. 19. contra Faustum, cap. 16. *Quid enim aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia.* &, Paulo post: *Sonant & transeunt: virtus tamen quæ per ipsa operatur iugiter manet: & donum spirituale quod per ista insinuatur æternum est.* Eadem apertius in Psal. 73. *Si enim discernimus duo testamenta, vetus & nouum, non sunt eadem Sacramenta & promissa, eadem tamẽ pleraque præcepta:* & inferius

Sacramenta Noui testamenti dant salutem: Sacramenta veteris testamenti promiserũt saluatorem.

Cæterum probemus septẽ hæc Sacramẽta ab ipso Christo esse instituta. Primo de Baptismo, Math. vlt. *Euntes ergo docete omnes gentes baptisantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* idem Mar. 14. & Io. 3. Quibus etiam locis ostenditur baptismi necessitas.

Si Minister detestatur, *Crudele Papæ iudicium contra infantes sine Sacramento Baptismi mortuos*, Ipsi Christo sententiæ crudelitas imputanda est, qui Baptismi necessitatem docuit. Ioan 3. dixit Nicodemo: *Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*: Et cum hoc miraretur, & dubitaret Nicodemus: Christus vt omnem illi dubitationem tolleret, eandem sententiam assueueranter repetiuit: *Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hanc sententiam Christi vocant Caluinistæ crudelem.

qui

qui ſicut de corpore & ſanguine Chriſti ſentiunt cum Iudæis dicentes, *Durus eſt hic ſermo*: ita cum Nicodemo de Baptiſmo: *quomodo poſſunt hæc fieri?* & particulam negantem, NON, quam addit Chriſtus, ipſi tollunt. Filij enim ſanctorum, inquiunt (dum ſuos intelligunt) intrabuunt in regnum cœlorum ſine Baptiſmo. Sententiam Chriſti de neceſſitate Baptiſmi tuentur Catholici: fatentur quidem infantes ſine Baptiſmo moriẽtes nulla cruciari pœna ſenſus, quod actualis peccati omnino ſint expertes. priuari tamen docent viſione Dei, ob peccatum originale, in quo naſcuntur. Vetus fuit & ante multos annos condemnata hęc hæreſis Pelagij, qui infãtes docuit naſci ſine peccato originis: hanc Caluiniſtæ ab inferis reuocarunt, & Miniſtris Scotis de filijs ſuorum prædeſtinatorum concionandam tradiderunt Contra quos multis in locis ſeuerè diſputat Diuus Auguſtinus Epiſtola 89. quæſt. 3. ad Hilarium: *Quod dicunt infantem morte præuentum, non baptiſa-*

tisatum perire non posse: quoniam sine peccato nascitur: non hoc dicit Apostolus. Et arbitror esse melius vt Apostolo potius quam illis credamus: dicit enim ille doctor gentiũ, in quo Christus loquebatur: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Eos damnari docet idem Augustinus Epist. 28. ad Hieronym. *damnari animas si sine Baptismo de corpore exierint, & Sancta scriptura & sancta testis est Ecclesia.*

Docent Ministri, Sacramẽtum Baptismi non esse necessarium: nihil nocere paruulis, si priuentur eodem: quia collatus nihil adfert sanctificationis aut gratiæ. Hanc doctrinam vt impiam refellit D. Augustinus lib. 1. cõtra Iulianum Pelag. cap. 2. *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui: & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & iustitiæ in sorte sunt. qui fuerunt in confusione peccati: Non enim tantum sunt liberi sed & sancti, sed & iusti: non solum iusti, sed & filij: non tãtum filij, sed & hæredes: non solum hæredes, sed*

ſed & fratres Chriſti : non ſolum fratres Chriſti, ſed & cohæredes Chriſti: non ſolum cohæredes, ſed & mẽbra : non tãtum mẽbra, ſed & templum: non tantum templum, ſed & organa Spiritus. vides quot ſint Baptiſmatis largitates: & nonnulli deputant cæleſtem gratiam, in peccatorũ tãtum remiſſione cõſiſtere: nos autẽ honores computauimus decẽ: & hac de cauſa infantes Baptiſamus.

Confirmationem vere eſſe à Chriſto inſtitutam, habetur Actor. 1. & 8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* idem ad Hebr. 6. & probat D. Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo contra litteras Petilia. cap. 104. *Sacramentum chriſmatis, in genere viſibilium ſignorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus: ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis, & in operibus carnis vitam conſumentibus, regnum cælorum non poſſeſſuris.* & paulo poſt: *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt: illis ad præmium, alijs ad iudicium ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum eſt.* Et in epiſt. Ioã. tract. 3. *vnctio ſpiritualis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cuius*

Sacramentum eſt in vnctione viſibili. At de ſanctificatione quam affert cõfirmatio, ita loquitur in ſentẽtijs, ſententia 342. *Chriſti nomẽ à chriſmate eſt, ideſt ab vnctione, qua ideo õnis Chriſtianus sãctificatur vt intelligat ſe nõ ſolũ ſacerdotalis & regiæ dignitatis eſſe conſortẽ, ſed etiam cõtra diabolum fieri luctatorẽ.* Et in quæſt noui teſtamẽti, q. 42. *Non pertinet ad omnes credẽtes, ſed Epiſcopos tantũ, vt baptiſatis per manũ impoſitionẽ dent Spiritũ ſanctũ.* Sacramentũ pœnitẽtiæ expreſſe habetur Mat. 18. *Amen dico vobis quodcũq; ligaueritis ſuper terram, erit ligatũ & in cælo: & quæcumq; ſolueritis ſuper terrã, erũt ſoluta & in cælo.* Idem habetur Io. 20. de hoc Sacramẽto. D. Aug. de vera & falſa pœnitentia c. 2. *Qui cõuertitur neceſſariò dolet habere, quod gaudet perdere. pœnitẽtia itaq; acquirit indulgentiã, ſine qua nemo peruenit ad veniã.* & l. 50. homiliarũ. homi. vlt. *Omnis qui iã arbiter volũtatis ſuæ cõſtitutus eſt, cũ accedit ad Sacramenta fideliũ, niſi eũ pœniteat vitæ veteris nouã non poteſt inchoare, ab hac pœnitẽtia cum baptizãtur ſoli paruuli immunes ſunt, nondũ enim vti poſſunt libero arbi-*

arbitrio. Idē in ſententijs, Sent. 22. *Prima ſalus eſt declinare peccatū: ſecunda non deſperare de venia: nam ipſe ſe in æternū perimit, qui apud miſericordem iudicem ad pœnitētiæ remedia nō recurrit*. & in Pſal. 146. *quæ ſunt iſta allegamenta?* (loquitur de pœnitentia) *Temporalia Sacramenta alligamēta medicinalia ſunt cōtritionis noſtræ: Sacramēta interim temporalia quibus habemus conſolationem*, & poſt pauca hæc dicit expreſſe eſſe Sacramenta: Euchariſtiā, & manus impoſitionē præpoſiti in pœnitētia. Eſt ergo pœnitētia à Chriſto inſtituta, hominibus neceſſaria, & à patribus Sacramentum nuncupata.

Hæc tribus cōſtat partibus, dolere de peccatis cōmiſſis, quæ contritio cordis dicitur: de qua D. Aug. cōtra Creſconiū Grāmaticum lib 2. cap. 12. *Mandatur, & ſacrificio contriti cordis ab illo de quo dictū eſt: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor cōtritum, & humiliatum Deus non ſpernit*. & ſerm. 7. de Tempore: *pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei: quoniam ſic pœnites vt tibi amarum ſapiat in animo, quod antea* *Contritio*

dulce fuit in vita. & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiſcis ad Deum, & dicis tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.

Confeßio. Conſtat item pœnitentia confeſſione oris: quia nec ſoluuntur, nec ligantur incognita, ſed manifeſtata, & confeſſa: confeſſionem approbat D. Auguſt. lib. 50. homil. 12. *In omnibus ſcripturis diuinis, fratres dilectiſſimi, vtiliter, ac ſalubriter admonemur: vt peccata noſtra debeamus iugiter & humiliter, nõ ſolũ Deo, ſed etiam ſanctis, & Deum timentibus confiteri: ſic enim per Iac. Apoſtolum nos admonet Seiritus ſanctus, dicens, Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini.* & paulo poſt. *Quoniam enim nobis peccatorum vulnera numquam deeſſe poſſunt, ſic & confeßionis medicamenta deeſſe non debent. Non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata noſtra, quod ea ipſe ſcire nõ poßit, ſed quia diabolus hoc deſiderat, vt inueniat quod nobis ante tribunal iudicis æterni obÿciat, ideo vult vt magis defendere, quam accuſare peccata noſtra velimus. è contrario autem Deus noſter,*

noſter, quia pius & miſericors, vult vt ea cõfiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit: ſi nos cognoſcimus, ille ignoſcit. ibid. Homil 49. Nemo ſibi dicat occulte ago: apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoſcit, quæ in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta ſunt in cælo. Ergo ſine cauſa claues datæ Eccleſiæ Dei: fruſtramus Euangelium Dei. fruſtramus verba Chriſti: promittimus nobis quod ille negat.

Conſtat item tertia ſui parte pœnitentia. Satisfactione ſcilicet operis. Matth. 3. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* de qua D. Auguſt. ſerm. 29. de ſanct. *Confeſſionem quæramus puro corde: & pœnitentiam datam à Sacerdotibus perficiamus.* & Tract. 124. in Ioan. *In malis autem quæ quiſque patitur, nõ in bonis quibus fruitur opus eſt patientia. hanc itaque vitam de qua ſcriptum eſt: Numquid non tentatio eſt vita hominis ſuper terram? in qua clamamus ad Dominum, Libera nos à malo. cogitur homo tollerare, etiam remiſſis peccatis. quamuis vt in eam veniret miſeriam, pri-*

mum fuerit causa peccatum: productior est enim pœna quam culpa: ne parua videatur culpa, si cum illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ: vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna: etiam quem iam ad damnationē sempiternam non detinet culpa.

Ordo. Sacramentum ordinis ore Christi pronunciatur. Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Sententia quasi omnium doctorum antiquorum est, Christū Sacramētum ordinis instituisse in vltima cœna: & Apostolos omnes ordinasse sacerdotes, illis verbis: *Hoc facite in meā commemorationem:* idem clarius repetijt. Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Ordinem esse Sacramentum docet D. Augustinus de Bono coniugali, cap. 24. *Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandā: & si plebis cōgregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis. etsi aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur: Sacramento domini semel*

mel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente, &c. Et contra Epiſtol. Parmeni. lib. 2. cap. 13. *Sed ſi nos malè facimus, ipſi explicent quomodo Sacramentum baptizati non poſſet amitti, & Sacramentũ ordinati poſsit amitti: quoniam dicunt, Recedens ab Eccleſia Baptiſmum non amittit: ius dandi tamen amittit. Si enim vtrumq; Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? neutri Sacramento iniuria facienda eſt.* Et lib. quæſt. ex Nouo teſtam. quæſt. 93. *Illud autem quod inſufflaſſe in diſcipulos dominus legitur, poſt dies paucos reſurrectionis ſuæ, dixiſſe, Accipite Spiritum Sanctum, &c. Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe: quia enim omnia in traditione dominica, per Spiritum ſanctum agũtur, idcirco cũ regula eis & forma traditur huius diſciplinæ: dicitur eis, Accipite Spiritum ſanctum. & quia vere ad ius Eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubiecit, dicens: Cuius tenueritis peccata tenebuntur: & cuius remiſeritis, remittentur ei. Inſpiratio ergo hæc gratia quædã eſt, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur, &c.*

Sacra-

Eucharistia. Sacramentum autem Eucharistiæ, habetur Math. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11. *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*: & de hoc Sacramento paulo inferius.

Sacramentum verò matrimonij habetur Marc. 10. *Ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos, dicēs Propter hoc relinquet homo patrē suum & matrē suā & adhærebit vxori suæ: & erūt duo in carne vna: itaq; iam nō sunt duo sed vna caro: quod ergo Deus cōiunxit homo nō separet:* Esse Sacramentum docet Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Confert gratiā & sanctificationem, 1. Thessal. 4. Vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore. Et indissolubile, quo ad vinculum, vt post separationem à mensa & thoro, nō possint iterum contrahere, viuente altero: Math. 5. *Et qui dimissā duxerit adulterat.* Marc. 10. *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium cōmittit super eam: & si vxor dimiserit virū suū, & alij nupserit, mœchatur.* Luc 16.

Omnis

Omnis qui dimittit vxorem ſuam & alteram ducit mœcatur; & qui dimiſſam à viro ducit mœchatur. 1. Corinth. 7. *Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio: non ego ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari; & vir vxorem non dimittat.* Quod autem dicunt aduerſarij & Math. propter fornicationem licere vxorẽ dimittere: textum malè intellectũ peius interpretantur. Clarum enim eſt intelligere Mathæum, ob fornicationem licere dimittere: ne autem dimiſſa nubat, aut dimittens aliam ducat expreſſè prohibet.

Matrimonium verô eſſe Sacramentũ, & non poſſe diſſolui altero viuente, etiam ſi propter fornicationem ſeparẽtur, docet D. Auguſt. lib. de Bono coniugali, cap. 7. *Qui dimittit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari: vſque adeo fœdus illud initum nuptiale, cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum faciat: quemadmodum viuente viro à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit, & ille huius mali cauſa*

cauſa eſt qui reliquit. Et ibidem, cap. 15. *Semel initum cõnubium in ciuitate Dei noſtri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam Sacramentum nuptiæ gerunt: nullo modo poteſt niſi alicuius eorum morte diſſolui, manet enim vniculum nuptiarum, etiamſi proles cuius cauſa initũ eſt, manifeſta ſterilitate ſubſequatur: ita vt iã ſcientibus coniugibus, non ſe filios habituros, ſeparare ſe tamen, vel ipſa cauſa filiorum, atque alijs copulare non liceat. quod ſi fecerint, cũ eis quibus ſe copulauerint, adulteriũ committunt, ipſi autem coniuges manent.* Et lib. de Peccato origin. contra Pelag. & Celeſt cap. 34. *Bonum ergo ſunt nuptiæ, in omnibus quæ ſunt propria nuptiarum: hæc autem ſunt tria: generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij Sacramentum: propter ordinationem generandi ſcriptum eſt. Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe. propter fidem pudicitiæ, Vxor non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier. Propter connubij Sacramentum, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

Aduerſariorum obiectionẽ ex Matthæi

thæi 19. ſumptam, quod propter fornicationem liceat vxorem dimittere, & conſequẽter aliã ducere, multis tractat D. Aug. l. de Adulterin. coniug. c. 5. 8. 9. Vbi aperte docet, nõ licere poſt diuortiũ, altero viuente, aliud inire cõiugiũ.

Sacramentum tandem extremæ vnctionis habet Iacob. c. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, vt orẽt ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine domini, & oratio fidei ſeruabit infirmũ, & alleuabit eum dominus, & ſi in peccatis eſt remittentur ei.* Secundum hanc Apoſtoli doctrinã D. Aug. l. de Rectitudine Catholicę cõuerſat. Tom. 9. ſic ſcribit. *Propterea quoties aliqua infirmitas occurerit alicui, nõ querãtur percõtatores, non diuini, nõ ſortilegi, nõ carcarij neq; per fõtes aut arbores, aut biuia philacteria, exerceãtur: ſed qui agrotat, in ſola Dei miſericordia confidat: & Euchariſtiã cum fide & deuotione accipiat, oleũq; benedictũ fideliter ab Eccleſia petat: vnde corpus ſuum vngatur ſecundũ Apoſtol. oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: non ſolũ corporis, ſed & animæ ſanitatem accipiet: complebiturque in illo*

quod

quod dominus in Euangelio promiſit, dicens omnia quæcũq; petieritis in nomine meo in oratione credentes, accipietis. Idem dicit ſerm.215.de Tempore.Innocent.1.epiſt. ad Decentium,cap.8.etiam Sacramentum appellat: *Pœnitentibus*, inquit, *iſtud* (de oleo ſancto) *infundi non poteſt : quia genus eſt Sacramenti : nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur poſſe concedi?*

Hæc Sacramenta rite poſſe per malos homines adminiſtrari teſtatur D. Auguſt.lib.2.contra Epiſtol. Parmen.c. 10. *Omnia*, inquit, *Sacramenta cùm obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus.*& lib.3.contra Creſcõ. cap.5.*Siue à fideli, ſiue à perfido diſpenſatore Sacramentum quiſque percipiat, non ſanctificat niſi Deus.*Nonne vides,lector, D.Auguſtinum malleum hæreticorum olim vocatum,etiam nunc Caluiniſtas contundere, dum contra ſeptem Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta blaſphemias euomunt?nõ aliam certe ob cauſam quam vt populum Chriſtianum ſuauiſſimo & neceſſario Sacramento-

rum

rum fructu priuent. Si re vera (quod verbis profitentur) D. Auguſt. doctrinam velint ſuſcipere: vobiſcum certe ſentient. Cum nihil apertius, nihil efficacius dici potuerit in confirmationē doctrinæ Catholicæ, quam quod ex D. Auguſtino adduximus.

Cum ritus omnes & ceremonias vos dicitis deteſtari: memorem veſtrā in Concilium Tridentinū iram ognoſco: quod anathema dixit ijs qui ceremonias Eccleſiæ vel contemnūt vel ſine peccato prætermitti poſſe putant. Si omnes ritus & ceremonias deteſtamini, cur ipſi in adminiſtratione Baptiſmi & cœnæ veſtræ ceremonias adhibetis? Nonne à duobus patrinis fidelibus oblatos infantes, congregatis fratribus, præmiſſa concione aut lectione Euangelij baptizatis? Nonne diſſectum in patina panem miniſtratis veſtris fidelibus in cœna? Nonne matrimonium, creatio Miniſtrorum & cætera quæ vos ipſi facitis ſuas habent ceremonias? Sin vero noſtras tantum deteſtamini, quo id quæſo iure? cum nec veſtræ in ſcrip-

turis reperiantur: nec noſtras ſcriptura condemnet: imo ante veſtras ceremonias inuentas Eccleſia Catholica ſuos ritus piè & ſanctè, quales nunc ſunt, multis ſeculis retinuerit. Tertull. 3.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur diabolicam eius Miſſam: blaſphemam eius opinionẽ de Tranſſubſtantiatione, vel reali præſentia corporis Chriſti in elementis, receptioneſque eiuſdem per improbos, ſeu corpora hominum.

DOCTOR CATHOLICVS.

FVIſſe ſemper in Eccleſia Dei ſacrificium docent omnes patres, nos hic duobus Cypriano & Auguſtino erimus contenti: plura inferius, vbi de Sacerdotio dicturi. D. Auguſtin. lib. 8. dẽ Ciuit. cap. vltimo. Contra oblationes ad ſepulchra mortuorum: *Ea*, inquit, *non eſſe ſacrificia martyrum nouit, qui vnum quod Deo offertur ſacrificium Chriſtianorum nouit.* Cypria. lib. 2 ep. 3. Hæc verba explicans: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo*

ordo itaque hic est, de sacrificio illo veniens, & inde descendens: quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit: quod panem & vinum obtulit: quod Abraham benedixit: Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quã Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Hoc sacrificium Catholici vocant Missam, & à Christo domino credunt institutum, in quo sub speciebus panis & vini eiusdem Christi corpus & sanguis offertur, manibus legitimi Sacerdotis, prout præcepit Apostolis; *Hoc facite in meam commemorationem.* Cætera quæ adduntur, Introitus, confessio, in principio, Kyrie eleyson, gloria in excelsis, orationes, Epistola, Euangelium, Credo, præfatio, Canon Missæ, cruce signationes, Agnus Dei, Dominus vobiscum, Benedictio populi: & huiusmodi cætera, addita sunt à summis Pontificibus, quo maiore cum reuerentia, magestate, pietate & religione Sacramentum celebretur: sine

Missa Catholica Romana a Pontif. Rom. conferruminata, & variis additionibus & accessionibus tenebricosis collocupletata

vlla ſuperſtitione, geſticulatione inutili aut vanitate, vt falſo cauillãtur aduerſarij.

Blaſphemam Papæ opinionem de Tranſſubſtantiatione, vel reali præſentia corporis Chriſti dicitis, & deteſtamini. Blaſphemum ergo eſt Euangeliũ, blaſphema erit tota antiquitas, blaſphemi omnes veteres & ſancti Patres: Nam hæc omnia in teſtimonium contra vos adduco. Primûm: Euangelium, Math. 26. Marc. 14. Luc. 22. *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus*: & Ioan. 6. multis verbis eſt amplificatus hic ſenſus. *Hic eſt panis de cælo deſcendens: caro mea vere eſt cibus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo.* Apoſt. 1. Corinth. 11. eiſdem verbis iterat: *Hoc eſt corpus meũ: hic eſt sãguis meus, qui manducauerit & biberit indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini.* quid clarius? quid enucleatius? Oppono totam antiquitatem: primum Concilia generalia. Concilium Nicenum can. 14. & 18. agnoſcit in hoc Sacramento corpus Chriſti: Concilium Epheſ. in Epiſt.

ad

ad Neſtorium vocat Sacrificium incruentum. Deinde omnes patres, cum Græcos, tum Latinos: ſed ne multitudo pariat tædium: ſeptem adferemus præcipuos & doctiſſimos; qui intra quingentos à Chriſto paſſo annos vixerunt. Nam tot ſeculorum doctrinam dicunt aduerſarij ſe ſuſcepturos. Sit primus.

Ambroſius anno Chriſti. 380. Cuius 1.
nomen tanti fecit Magnus & doctiſſimus Auguſt. vt eum opponens doctrinæ Iuliani Manichæi dixerit: *Túne contra auctoritatem tanti viri audes hiſcere?* Is ergo libro de iis qui myſter. initia. c. 9. *Fortaſſe dicas, aliud video, quo modo tu mihi aſſeris, quod corpus Chriſti accipiam. Probemus igitur non hoc eſſe quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: maioremque vim eſſe benedictionis quàm naturæ: quia benedictione etiam ipſa natura mutatur.* & inferius: *Ipſe clamat dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionẽ verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur: ipſe dixit ſanguinem ſuum,*

ante consecrationem, aliud dicitur; post consecrationem, sanguis nuncupatur. & tu dicis Amen. id est, verum est, quod os loquitur, mens interna fateatur. idem lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Auctor Sacramentorum quis* ß *est, nisi dominus Iesus? de cœlo ista Sacramẽta venerunt. Tu forte dices: meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorũ: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpꝰ esse Christi consecratione. consecratio igitur quibus verbis est? & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nã reliqua omnia quæ dicũtur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. vbi venitur vt cõficiatur venerabile Sacramentũ, iam nõ suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum: quis sermo Christi? nempe is quo facta sunt omnia. Iussit dominus & factũ est cælũ. iussit dominus & facta sũt Maria. iussit dominus & omnis creatura generata est. Vi-* ß *des ergo quã operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperẽt esse quæ non erãt: quãto magis operato-*

ratorius est, vt sint quæ erãt & in aliud conuertantur? Ergo tibi vt respõdeã: Nõ erat corpus Christi ante cõsecrationẽ, sed post consecrationẽ dico tibi quod iam corpꝰ est Christi: ipse dixit & factũ est, mãdauit & creatũ est.

Accedat S. Augustꝰ. quem pro se stare suadent Ministri, ex hoc discant, verũ sumi corpus & sanguinem Christi: etiã ab iniquis, & humana corpora ingredi, & quo modo illud intelligatur: *Caro non prodest quicquam*: vixit anno 400. Is ergo serm. 28. de Verbis domini, sic docet. *Ante verba Christi quod offertur panis dicitur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iã nõ panis dicitur, sed corpus appellatur.* & in Ps. 98. *Suscepit Christus de terra terrã: quia caro de terra est: & de carne Mariæ carnem accepit. & in ipsa carne hic ambulauit, & ipsã carnem nobis manducandã ad salutem dedit.* Et li. 2. contra aduersarios legis & Prophetarum, c. 9. *Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, carnem suam nobis manducandã, sanguinemq; bibendũ dãtem fidei corde & ore suscipimus. quãuis horribilius videatur, humanã carnem manducare quàm perimere, & humanũ sanguinẽ potare*

quàm fundere. Adhæc tam euidente auctoritate docet concio. 2. in Pſal. 33. Veritatem corporis & ſanguinis, vt nulla ratione ferre poſſint eius verba expoſitionem ſigni aut figuræ: *Manibus aliorum poteſt portari homo: manibus ſuis nemo portatur: quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum litteram non inuenimus. In Chriſto autem inuenimus: ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis: quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, Hoc eſt corpus meum: ferebatur enim ipſum corpus manibus ſuis.* Hæreat hîc Miniſter: non patitur enim hic textus gloſsã Caluinianã. præterea ſumi à malis & eorũ corpora ingredi ſic oſtẽdit, epiſt. 162. ad Gloriũ. *Tolerat ipſe dominus Iudam diabolum, furẽ & venditorem ſuum: ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles nouerũt pretium noſtrum:* & Tract. 26. in Ioan. *Nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt Sacramentum: aliud eſt virtus Sacramẽti: quam multi de altari accipiunt & moriũtur: vnde dicit Apoſtolus: Iudicium ſibi manducat & bibit. Nonne bucella dominica venenum fuit Iudæ? & tamen accepit: & cùm accepit,*

accepit, in eũ inimicus intrauit: nõ quia malũ accepit: sed quia bonum male malus accepit. Iterumq; eodem Tract. fusius idem exponit: & docet quomodo intelligatur Sacramentum, & res Sacramenti, caro & spiritus. *Carnem Christi*, inquit, *& sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali faciunt: sed vsque ad Spiritus participationem manducemus, & libamus: vt in domini corpore, tamquam membra maneamus.* & in eodẽ Tractat. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. O Domine, magister bone! quomodo caro non prodest quicquam: cum tu dixeris, Nisi quis mãducauerit carnẽ meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quicquam? & propter quod sumus quod sumus: nisi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? quid ergo, non prodest quicquam? Caro non prodest quicquam: sed quomodo illi intellexerunt carnem, quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur: aut in macello venditur: non quo modo spiritu vegetatur.* Et paulò inferius: *Proinde sic dictum est, Caro non prodest quicquam:*

quomodo dictum est scientia inflat. Iā verō debemus odisse scientiā? absit. & quid est, scientia inflat? sola sine charitate. Ideo adiunxit: charitas ædificat. adde ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia. Sic etiam nūc: caro non prodest quicquam: sed sola caro. accedat spiritus ad carnē, quomodo charitas ad scientiam, & prodest plurimū: Nā si carro nihil prodesset, verbū caro nō fieret vt habitaret in nobis. Et paulo post: *Spiritus ergo est qui viuificat, caro non prodest quicquam, sic illi intellexerunt carnem, non sic ego, ad manducandam carnē meam.* Idē fere habet in expositione Ps. 98. *Durū illis visum est quod ait, Nisi quis manducauerit carnem meam, nō habebit vitam æternam: acceperunt illud stulti carnaliter, illud cogitarunt & putarūt, quod præcisurus esset dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis: & dixerunt, Durus est hic sermo: ipsi erant duri, non sermo.* sequitur: *Ille autem instruxit eos, & ait illis: Spiritus est qui viuificat: caro autē nihil prodest. Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt: Spiritualiter intelligite quod locutus sum.* idem lib. 9. Confessio. cap. 14. Sacrificiū

Missę

Missæ dicit oblatum pro anima matris suæ Monicæ. & lib. 22 de Ciuit. c. 8. Dæmones loco pulsos per sacrificiū Missæ his verbis significat: *Vir Tribunitius Hesperitius qui apud nos est, habet in territorio Fußalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cum afflictione seruorum & animalium suorum, domum suam Spiritum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absēte, presbyteros, vt aliquis illorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit.* In Psal. concio. 1. docet esse sacrificium. *Humiliauit semetipsum factus obediens &c. vt iam de cruce cōmendaretur nobis caro & sanguis domini: nouum sacrificium, &c.*

Sit tertius D. Cyprianus Episcopus & martyr. sermon. de Cœna domini. 3. *Panis iste non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Si caro est, panis non est. Si panis remanet, caro non est*: idem docet. lib. 2. epistola 3. ad Silicium qui locus est à nobis citatus

citatus initio huius articuli. Aut ergò Transſubſtantiatio eſt, aut fallitur Cyprianus. quem tanti fecit Auguſtinus, vt eius frequenter auctoritatem Hæreticis opponat.

Accedat quartus D. Hilarius, qui Pictauiēſi præerat Eccleſiæ anno Chriſti 350. lib. 8. de Trinitate. *Non eſt*, inquit, *humano, aut ſeculi ſenſu, in Dei rebus loquendum: quæ ſcripta ſunt legamus: & quæ legerimus intelligamus: & tunc perfectæ fidei officio fungemur. de naturali enim in nobis Chriſti vnitate quæ dicimus, niſi ab ipſo dicimus, ſtultè atq; impie dicimus: ipſe enim ait, Caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum in me manet & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigēdi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, verè caro eſt, verè ſanguis eſt. & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas nō eſt? cōtingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant.* Iam Græcos aliquot audiamus.

Sanctū

Sanctũ Chryſoſtomum qui vixit anno domini 380. homil. 60. ad populum Antiochenum, & homil. 83. in Math. *Quoniam* (ait) *verbum dicit, Hoc eſt corpus meum: & pareamus & credamus: & intellectualibus ipſum oculis intueamur: nihil enim ſenſibile Chriſtus nobis tradidit: ſed res quidem ſenſibiles omnes aut intelligibiles.* Ibidem: *In Baptiſmate rem nempe ſenſibilẽ aquam donum confert: intelligibile vero quod perficitur generatio & renouatio: ſi enim incorporeus eſſes, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet. quod nunc dicunt, vellemus ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta: ecce enim vides: ipſum tangis: ipſum manducas: & tu quidem veſtimenta cupis videre? ipſe vero tibi concedit, non tantum videre, verum & manducare, & tãgere, & intra te ſumere.* Et paulô poſt: *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita, quæ tunc ipſe fecit in illa cœna. idem ea nunc quoque facit. Nos miniſtrorum tenemus locum: qui vero certificat ea & immutat ipſe eſt. hæc eſt illa menſa, & minus nihil*

nihil habet. nō enim illā quidē Christus, hāc autē homo perficit. Nam & hanc ipse quoq; &c. & paulo inferius: *Et tu laïce cū Sacerdotem videris offerentē, ne vt Sacerdotē esse putes hoc facientē: sed Christi manū inuisibiliter extēsam. Audiamus ergo & Sacerdotes, & subditi quali esca facti simus digni. Audiamus & horreamus, sanctis carnibus suis nos dedit impleri: semet ipsū posuit immolatum.* Idē homil 81. ad eosdē. & homil. 45. *In* Ioan. *Vnum corpus sumus, & membra ex carne eius, & ex ossibus eius. sequamur autem initiati quæ dicuntur, vt itaque non tamen per charitatem hoc faciamus, verum ipsa re in illam immisceamur carnem: hoc per escam efficitur quam largitus est nobis: volens ostendere desiderium quod erga nos habet: propterea se ipsum nobis immiscuit: & corpus suum in nos cōtemperauit. vt vnū quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum, ardenter enim amantium hoc est.* Et paulo post: *Volui frater esse vester: carnem propter vos & sanguinem assumpsi: vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per qua cognatus vester factus sum, trado.*

5. Succedat sanctus Cyrillus Archiepis-

episcopus Hierosolimitan. Anno Christi 350. Catachesi Mystagogica 4. *Cum igitur* (inquit) *ipse de pane pronunciauerit, & dixerit, Hoc est corpus meū: quis audebit deinceps ambigere? & cum idem ipse tā assueueranter dixerit, Hic est sanguis meus: quis vmquam dubitauerit, vt dicat non esse eius sanguinem. Aquam olim in vinum conuertit in Cana Galileæ, quæ habet quandam cum sanguine propinquitatem: & eum parum dignum existimauimus, cui credamus, quod vinum in sanguinem trāsmutauerit ad eas nuptias quibus corpora copulantur vocatus, præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: & non multo magis hic, cum corpus & sanguinē suū fruendū nobis donasse persuasum firmiter habebimus, vt ea cū omni certitudine, tanquam corpus & sanguinem ipsius sumamus. Nā in specie pais dat nobis corpus: & in specie vini dat nobis sanguinē. At cū sū pseris & gustes corp⁹ & sanguinē Christi, fact⁹ eiusdē corporis & sanguinis particeps: sic enim efficimur Christiferi: hoc est, Christū in nostris pectoribus ferētes. cum corpus eius & sanguinē in mēbra nostra recipimus, sic secūdū B. Petrū diuinæ naturæ cōsortes reddimur*

Et

Et paulô inferius. *Quam obrem nō ſic hæc attendas velim, tamquam ſit nudus & ſimplex panis, nudum & ſimplex vinum. Corpus enim ſunt & ſanguis Chriſti.* & inferius. *Pro certiſſimo habe panem hūc qui videtur à nobis, non eſſe panem: etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat: & vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur: non tamen vinum ſed ſanguinem eſſe Chriſti.*

Sit tandem ſeptimus veritatis noſtræ teſtis Cyrillus Archiepiſcopus Alexãdrinus: qui vixit anno domini, 430. Is libro 4 in Ioan. cap. 17. *Qui manducat,* inquit, *carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in illo. Sicuti enim ſi quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit; altera cum altera per totum commiſceat neceſſe eſt: ſic qui carnem & ſanguinem domini recipit, cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo inueniatur.* & paulô poſt: *quare pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudioſe ſanctèque viuas, & benedictionem participes: quæ, mihi crede, non ſolum mortem, verum etiam morbos omnes depellit. ſedat enim, cum in nobis manet, Chri-*

Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem: pietatem corroborat: perturbationes animi extinguit, ægrotos sanat: collisos redintegrat: & sicut pastor bonus, qui animã suam pro ouibus posuit, ab omni nos eripit casu. Hic iam proprio suo iudicio condemnentur aduersarij necesse est, dum probare se dicunt doctrinam patrum qui primis quingẽtis post Christi passionem annis floruerũt: siquidem omnes hi patres (vti nos notauimus) intra illa quinque secula vixerunt.

Condemnat præterea Ministrorum doctrinam, de veritate corporis Christi in Eucharistia, Martinus Luthetus cum tota turba Lutheranæ sectæ, quæ per tot regna & regiones veritatem præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Eucharistia amplectitur. Eadem Berengarius, ex cuius puluere Caluinus hanc hæresim suscitauit, ante mortem condemnauit. Nam vt est Author Ioannes Gerson Parisiensis Cancellarius, die Epiphaniæ moribundus in hæc verba prorupit. *Hodie apparebit mihi dominus, ad meam salutem, vt spero, propter pœnitentiam,*

tentiam: aut ad damnationem, vt timeo, propter eos quos mea praua doctrina decepi.

Denique hanc Caluini doctrinam reijcit cōstans, & vniformis totius Ecclesiæ Catholicæ vsus, quæ corpus & sanguinem Christi in hoc Sacramento veneratur.

Tandem noui hi Euangelistæ in Transsubstantiationem vti rem ridiculam & impossibilem insurgunt: & nouam vocem, nec in scripturis vsitatā deridentsed esto: Vocabula MISSA & TRANSSVBSTANTIATIO in Scripturis non inueniantur: nemo tamē res vocibus significatas, si in Scripturis inueniātur, propterea debet negare: Sicuti nemo tres personas diuinas debet negare quamuis vocabulū TRINITAS in scripturis non inueniatur. Rem vero Trāssubstantiationis in scripturis reperiri certum est. veluti cum Christus substātiam aquæ in substantiā vini conuertit, in nuptijs. Ioan. 2. vera erat Transsubstantiatio: ita cū Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, vera fuit transsubstantiatio:

Similitudo claudicat.

tiatio: Nam si mãsit quod ante fuit: falsa esset propositio, *hoc est corpus meum*. Si propositio in se vera est, quod fateri necesse est, ne Christum mentitum fuisse concedamus. tunc non mansit substantia panis, sed mutata est in corp⁹ Christi, per Transsubstantiationem. Nisi cũ Luthero dicere velint, simul cum corpore Christi mansisse substantiã panis: & Christũ tanquam in placenta inclusum. quod sanè æquè verum est, quàm in nuptijs substantiam aquæ mansisse, quod parum Lutheri palato sapuisset. Sed confugiunt ad significationem figurę & signi corporis Christi: Verum Christus ipse huius insurrectionis præscius, tã apertis verbis omnia expressit, vt nullus verum corpus & verũ sanguinem negare possit: qui non eo deuenerit dementiæ, vt dicat, non verũ corpus traditum, & verum sanguinem in cruce effusum fuisse pro redemptione humana: sed figuram & signum corporis & sanguinis. Nam Christus apertis verbis expressit, se idem corpus quod Iudæis traditum est & eundem

ſanguinem qui pro eis & pro multis in cruce effuſus eſt diſcipulis dradidiſſe. verba ſunt Math. 26. *Hic eſt ſanguis meus Noui teſtamenti, qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum.* Marc. 14. *Hoc eſt corpus meum. hic eſt ſanguis meus qui pro multis effundetur.* Luc. 12. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. hic eſt calix, nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.* 1. Corinth. 11. *Hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur.* expreſſioribus verbis figuræ & ſigni nomen vel ſignificationem vitare non potuit.

Patres omnes Tranſſubſtantiationẽ inculcãt, vt ex dudum citatis locis cernitur. Ambroſ. *Non hoc eſt quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit: maiorque vis eſt benedictionis quàm naturæ quia benedictione etiam ipſa natura mutatur.* Quid eſt naturam mutari, niſi tranſſubſtantiari? Idem paulo inferius, adducit exemplũ de creatione: *Si ergo,* ait, *tanta vis eſt in ſermone Chriſti, vt incipiant eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant & in aliud conuertantur?* in aliud conuerti eſt tranſ-

ſub-

2 ſubſtãtiari. Chryſ. ait Chriſtum panem immutaſſe in corpus ſuum. quod eſt tranſſubſtantiari. Cyrill. Hieroſoly. ait, 3 *Vinum in ſanguinem tranſmutauit*: quod idẽ eſt dicere, tranſſubſtantiauit. Si rem habes, quid es de nomine ſollicitus.

Sed ratio potiſſima quæ Nouatores in hanc negationem præſentiæ corporis Chriſti induxit eadem eſt quæ fuit Iudæorum: non enim, inquiunt, concipere poſſunt quo modo id fieri poſſit. *Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum?* His ego eiſdem verbis reſpondeo, quibus D. Auguſtin. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. Reſpondit iis qui de miraculo corporis nullum locum occupantis ambigerent. *Nõ credunt hoc, qui etiam dominum Ieſum per integra virginalia matris enixum, & ad diſcipulos oſtijs clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt. Sed hoc certe quærant, & ſi verum inuenerint, illa credent.* Non credentibus rem fateor creditu difficilem: Catholicus tamen facile credit: quia nouit Deũ eſſe omnipotentem, & verum: & ideo poſſe & velle præſtare quæ dixit, vt rectè mo-

net D. Auguſt. epiſt. 3. ad Voluſianum. Demus, inquit, Deum aliquid poſſe, quod fateamur nos inueſtigare nō poſſe: in talib⁹ enim omnis ratio facti omnipotentia facientis eſt. Iudicet iam prudens lector, an Catholici, cum Euāgelio, tot Sanctis patribus, & tota antiquitate blaſphemi debeant cenſeri. An ipſi propter blaſphemiam lapidibus obrui. An Miſſa dicenda ſit diabolica: an potius aduerſarij Dæmoniorū Spiritu in ſanctum & diuinum myſterium impudenter inſurrexiſſe.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur omnes eius diſpenſationes ſolemnium iuramentorum: & eius periuria.

DOCTOR CATHOLICVS.

DIſpenſat Papa, in legibus quas ipſe aut prædeſſeſſores eius tulerūt, prout ratio temporis, & rerum neceſſitas poſtulat. quid mirum? Nonne hoc etiam præſtāt aduerſarij per reges ſuos & principes? ſed eos adeo occæcat inuidia, vt etiam iuſta in eo condemnēt, quem

quem iniuſtè oderunt. quod verô Papa aut faciat aut permittat iuramenta ſolemnia, aut alia contra veritatem & iuſtitiam, aut vlla periuria: numquam probabunt aduerſarij: falſo enim hæc imponunt vt auerſum à Sũmo Põtifice populũ vehementius incẽdant: diſpenſant quidem Papa & Epiſcopi cũ iuramentis illicitè in contractibus appoſitis, ad fines agendi: ne ſit vinculum iniquitatis, vt fuſè eſt in iure Canonico expreſſum: quod ſi intellexiſsẽt aduerſarij, numquam in falſam hanc deteſtationem populum duxiſſent. In ipſos certe hęc retorquenda reprehenſio, qui cum iuramentis presbyterorum, monachorumque perfide à nobis ſpe libertatis Epicureæ fugientium nõ modo diſpenſant, ſed in fratrum ſuorum numerum aſciſcunt: filias & ſangnine proximas eis tamquam viris optimis in matrimonium dant.

MINISTER SCOTVS.

Dedeſtamur eius gradus affinitatum in matrimonio, verbo Dei prohibitos. Eius

crudelitatem contra innocentem repudiatam.

DOCTOR CATHOLICVS.

SI intelligit aduersarius Papam prohibere ceremonialia veteris legis, ne quis ducat vxorem fratris, ad suscitandum semen fratri suo, id fatemur: certò enim scimus ceremonialia veteris legis cessasse. Sed nō iuuenier Minister quos gradus approbatos in lege Euangelica prohibuerit. Vt verum & supremum Ecclesiæ caput: in bonum Ecclesiæ ad decentiam & reuerentiam sanguinis, potest leges ferre de gradibus consanguinitatis, & affinitatis; & cum eisdem dispensare in contrahendis matrimonijs. Nonne idem probat Principum constitutio ciuilis? Idem etiã Imperator sanxit Iustinianus. Etiam in lege vestra Euangelica: an patri in vxorem ducere filiam liberum est? Habendam esse rationem graduum cognationis docet D. August. lib. 15. de Ciuitat. c. 16. *Si enim iniquum est* (inquit) *auiditate possidendi transgredi limites agrorum: quanto est iniquius libidine concubendi subuertere limitem*

limitem morum? Experti autem ſumus, in connubijs conſobrinarum, etiam noſtris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum: quã raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. & paulo inferius. *Sed etiam quia neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile: vt qui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat: quamuis generatricem tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam coniugalem.* Vbi plura in hunc ſenſum tradit Auguſtinus.

Quod ſi Miniſter crudelem cẽnſet Papam cõtra innocẽtem repudiatam, Chriſto certe & D. Paulo erit hæc crudelitas imputanda. qui expreſſe docẽt, ſeparatum, viuẽte altero, non poſſe denuo contrahere: Math. 5. *Qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Paul. 1. Corint. 7. *Quod ſi deceſſerit, manere innuptam.* Et hæc eſt conſtans doctrina omnium patrum. àqua id potiſſimum carnales & voluptuoſos aduerſarios egit auerſos, quod

caſtitatem exiſtiment ſeruari nõ poſſe. hinc doctrinam de matrimonio & animi ſui ſententia verſant,& ad ſuam cupiditatem ita trahunt & peruertunt: vt eos non pudeat diuortium & repudium vxoris innocentis cõcedere, hoc ſolo nomine; quod maritus adulterium ſe cum altera perpetraſſe fateatur. Quam ſit huius erroris fundamentum à recta ratione alienum & abſurdum, oſtendunt exempla plurimorum qui diu & ſancte vixerunt & adhuc viuunt continentes: ac plurimæ virgines, quæ vt caſtitatem ſeruarẽt vitam cum ſanguine profuderunt. de quibus hiſtoriæ cum ſacræ tum profanæ. Sed potiori iure atroces & crudeles cenſendi ſunt aduerſarij: qui iſta coniugia poſt dimiſſam vxorem probent, permittant & concedant: cum vere ſint adulteria: & filij ex ijs nati ſpurij & illegitimi, qui parentum hæreditatibus ſuccedere non poſſunt. Quæ res (gartiant Miniſtri Caluiniani, quantum licet) quanta diſſidia, quantas lites & inimicitias, quantam demum malorum Iliadem

ſit

sit posteris allatura, tempus abunde docebit. Imo plerique iam Scoti hanc Miniſtrorum doctrinam ſecuti eos cane peius & angue auerſantur, diriſque omnibus deuouent.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur eius blaſphemum Sacerdotium, varios ſeu multiplices eius ordines.

DOCTOR CATHOLICVS.

ANxius hic moror: omnéne deteſtentur Miniſtri Sacerdotium: an ſingulare vllum à Pontifice Romano inuentum, & excogitatum: ab hoc certe non minus abhorrēt omnes Catholici. Illud vero qui reijciat, naturæ etiam prima reſpūat initia neceſſe eſt. Omnis enim religio ad diuini numinis cultum ſacrificia quædā adhibuit. ita vt ſacrificium cum religione natum & cum eadem reſtingui videatur. Cain & Abel primi homines ſacrificia obtulerunt Geneſ. 4. Renouata poſt diluuiū religio renouata per Noë ſacrificia. Geneſ. 8. Eſt ſacrificium ergo & ſacerdos. tranſlata eſt lex, ergo tranſlatum

Sacer-

Sacerdotium. Heb 7. Neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem, & nõ ſecundum ordinem Aaron dici: Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* hic eſt Chriſtus Ieſus, quẽ nos Sacerdotem in æternum confitemur, qui ſemper viuit, ſemperque Sacerdotio fungitur. Nec auitum à Luthero in vos deductum mendacium agnoſcimus, quo aſſeritis, nos à Chriſto in Petrum ſucceſſoreſque ſuos trãſtuliſſe Sacerdotium. Vicarios certe & Miniſtros eſſe credimus in Eccleſia: quorum multiplicatio vnitati & æternitati Sacerdotij Chriſti non repugnat. id nos docet Apoſtol. 2. Corinth. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. itaque obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.* 1. Corinth. 3. *Quid igitur Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuiq; ſicut dominus dedit.* & ibid. *Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis:* Nonne Paulus hic ſe legatum, adiutorem, Miniſtrum Dei facit? Chriſtus eſt paſtor. Ioan. 10.

Ego

Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Christus baptizat in Spiritu sancto. Math. 3. Christus est vnicus magister noster. Quis tamen vmquam negauit, plures esse in Ecclesia pastores? plures Sacramentorũ Ministros, qui his muneribus visibili modo fungantur? D. Paul 1. Timoth. 2. & ad Timoth. 1. Vocat se doctorẽ & magistrum: cum Christus ergo non sacrificet visibiliter: cur Sacerdotum & Sacrificatorum pluralitatem reijciemus? Ipsi Ministri Doctores & magistri dici volunt: & si Sacrificiũ quod omnis ab origine mundi religio suscepit, vt nos dudum probauimus, vllũ agnoscerent etiam Sacerdotum nomen arriperent. Nos cum Apostolis Actor. 20. scimus positos Episcopos regere Ecclesiã Dei. Hoc Sacerdotiuma gnouerunt omnes patres, non à Papa, sed à Christo domino nostro profectũ. Sit nobis instar omnium D. August. lib. 1. contra Aduersar. legis & Prophetar. cap. 20. *Iurauit dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Noue-

Nouerunt qui legunt quid protulerit Melchiſedech: quando benedixit Abraham: & iam ſunt participes eius. vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum eſt increpatio. & quod Deum non pœnitet, ſignificatio eſt, quia hoc Sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe Sacerdotium ſecundum ordinem Aaron, &c. De Ciuit. Dei, libro 18. cap. 35. *Malachias Prophetans Eccleſiam quam per Chriſtum iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſſime dicit, ex perſona Dei: Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus. & in omni loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda; quia magnum nomen meum in gentibus dicit dominus. Hoc ſacrificium per Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, in omni loco à Solis ortu vſque ad occaſum Deo iam videamus offerri. Sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum eſt, Non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiam munus de manibus veſtris, ceſſaſſe negare non poſſunt.* ex Scripturis ergo eſt

eſt ſacrificium & Sacerdotium in omni loco ſecundum ordinem Melchiſedech: & tempore D. Auguſtini, in eodem ſacrificio panis & vinum offerebatur. Doceant ſi poſſunt aduerſarij, quodnam aliud ſacrificium reperietur: ſi ſacrificium Miſſæ excludant, quo in omni loco vtuntur Catholici: ſi nec apud ipſos nec alibi quàm in Eccleſia Catholica, nec deteſtandum, nec horrendum dicetur Sacerdotium.

Deteſtamini varios ſeu multiplices Papæ ordines: Diuerſi ſunt in Eccleſia ordines: Papæ ſunt nulli. Chriſtus enim inſtituit ordines per Apoſtolos: Epheſ. 4. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios paſtores & doctores.* Huiuſmodi ſeptem agnoſcit Eccleſia Catholica, probant Catholici. Caluinus ſolùm Exorciſtam (ne forte ſpiritum eius fugaret) explodendum cenſuit, licet reliquos ſex certos eſſe ordines negauerit. Sed ne vos Pepuzianorum fallat hæreſis, qui, vt eſt auctor Epiphan. hæreſ. 49. ante vos omnes, ordines ab Eccleſia conati ſunt tollere.

tollere. Nos singulos, teste antiquitate numerabimus. Cornelius Papa in Spistola ad Fabianum, vt auctor est Eusebius, lib. 6. Histo. cap. 33. Scribit suo tempore, hoc est ante 1340. annos (nondum fuisse corruptam Ellesię doctrinam vos fatemini) in Ecclesia Romana fuisse presbyteros 46. Diaconos septem. Subdiaconos. 7. Acoluthos 42. Exorcistas cũ lectoribus & Ostiarijs 52. Cõcilium Romanum sub Sylvestro Papa, & Carthaginense quartum eosdem ordines agnouerũt. Imo ipsi Apostolorum discipuli Clemens & Ignatius probauerũt Clemens lib. 8. const. omnium fere ordinum ritus explicat. Ignatius in epist. ad Anthiochẽses. *Saluto, inquit, sanctum præsbiterum vestrum, saluto sanctos Diaconos; saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas.* Cyprianus lib. 2. epist. 10. Subdiaconorum, & Acoluthorum lib. 2 epist. 5. & l. 4 epist. 5. Lectorum lib. 5. epist. 14. Præsbiterorum, & Exorcistarum meminit. Cõcilium Laodicenum Can. 24. Carthaginense 4. canon 2. omnes ordines recensent. quæ sunt

sunt ambo incorruptis (vt vos dicitis) sæculis habita. Concilium Carthaginense canon. 9. ritum quem nunc seruat Ecclesia ordinandi ostiarios canon. 8. solemnem morem ordinãdi lectores canon 7. exorcistas, canon. 6. acoluthos canõ. 8. subdiaconos præscribit: de diaconis Concilium Nicenum canon. 14. Cyprianus l. 3. ep. 9. diuus Hieronymus ep. 85. ad Euagriũ & in caput 2. ad Titum. Sed iam diuum Augustinum de diuersis ordinibus differentem audiamus lib. primo de moribus Catholicæ Eccesiæ cap. 32. *Quàm multos*, inquit, *Episcopos optimos viros sanctissimosque cognoui, quàm multos presbiteros, quã multos Diaconos & huiusmodi Ministros diuinorũ Sacramẽtorum. quorum virtus eo mihi mirabilior & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam multiplici hominũ genere in ista vita turbulentiori seruare.* Cur iam diuersos in Ecclesia ordines ab Apost. traditos & ad nos vsq; seruatos vocent Ministri Papæ ordines iudicet lector.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur prophanum eius sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum, eius purgatorium, & orationes pro defunctis.

DOCTOR CATHOLICVS.

SAcrificium Papæ quod vocetis non intelligo: Catholici certe ne angelis quidem vllũ concedũt. soli Deo deberi sacrificiũ credunt & cõfitentur omnes. hoc dicimus, eximiũ illud, & incõparabile sacrificiũ quod Christ⁹ in extrema cœna sub panis & vini specie instituẽs suis Apostolis, vt primis noui testamẽti sacerdotibus, horumq; successoribus offerẽdũ his verbis demãdauit. Luc 22. *hoc facite in meã cõmemorationẽ*: hoc filios suos in Catechismo docent Catholici, esse hoc sacrificiũ viuis & defũctis salutare Firma est & cõstans õniũ patrũ doctrina. Nos breuitatis studio ex multis paucos citabimus Cyprianus serm. de Cœna domini: *Ex quo*, inquit, *à Domino dictum est, hoc facite in meam commemorationem: hæc est caro mea: & hic est sanguis meus: quotiescũq; his verbis & hac fide actũ est, panis est substantialis, & panis benedictione*

ctione plenus consecratus, ad totius hominis vitam salutēque proficit: simul medicamentum ad sanandas infirmitates & purgādas iniquitates existēs. Diuus Hyeronimus in c.1.ep.ad Titū. *quid de Episcopo sentiendū est qui quotidie pro suis populiq; peccatis deo oblaturus est victimas?* Aug.serm.4.de Innocen. *Recte sub altario iustorū animæ requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Nec immerito illic iusti vindictā sāguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus Christi sāguis effunditur. cōuenienter igitur & quasi pro quodam consortio Dei martyribus sepultura decreta est, vbi mors domini quotidie celebratur. sicut ipse ait, quotiescūq; hac feceritis mortem meā annunciabitis, donec veniam. scilicet vt qui propter mortem eius mortui erant sub Sacramēti eius mysteriore quiescant.* Esse pro viuis sacrificiū, & hoc salutare: docuerūt etiam patres, eodem iuuari mortuos. sanctus Chrysostomus, homil 41.in Epist.priorem ad Corinth. *Vere mortuus peccator, sane gaudere decet peccata impedita esse: & nō accumulatū malū. nitiq; quātū fieri potest, vt iuuetur, nō lachrimis, sed prece, supplicationib⁹*

eleemosinis, oblationibus. non est temere hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorū inter sacra mysteria celebramus: aut accedimus pro istis ad agnū illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes: sed vt his consolatio hinc aliqua fiat: nec temere qui altaria sistit inter horrenda misteria clamat, pro omnibus in Christo dormiētibus: & pro his qui memoriam celebrant illorum. Nam numquā ista fiant neq; hæc dicantur, si pro illis commemorationes non ferent: nec enim scena iam amplius nostra sunt: sed spiritus ordinatione fiunt. opitulemur igitur his, fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iobi illius liberos patris victima purgauit, quid dubites & nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatij illis quidam accessurum? gratificari Deus propter alios alys solet. quod Paulus hic ostendit 2. Corinth. 1. Vt ex multis, inquit, personis pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro nobis agantur, ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipsis offerendo. communis totius orbis victima preces sunt. D. Augustl. de Cura pro mortuis gerenda cap. L *in Machabæorum libris legimus oblatum*

oblatũ pro mortuis ſacrificium. ſed & ſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur: non parua tamen eſt vniuerſæ Eccleſiæ quæ in hac cõſuetudine claret iutoritas. vbi in precibus Sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commẽdatio mortuorum. 2. Mach. 12. ſunt quæ hic notat Auguſt. *& facta, collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolimam, offert pro peccatis mortuorum ſacrificium: bene & religioſe de reſurrectione cogitans. niſi enim eos qui exciderant reſurrecturos ſperarent, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis. & quia conſiderat quod ij qui cum pietate dormitionem acceperant optimã haberent repoſitam gratiam. ſancta ergo & ſalutaris eſt cogitatio pro deffunctis orare, vt à peccatis ſuis ſoluãtur.* hos libros, ſaltẽ vt teſtes illorũ tẽporum, & hiſtoricos negare non poſſunt aduerſarij. Certe ſi ad D. Auguſt. diuertiſſent, hanc ſuam doctrinam in Aerio vetere hæretico condemnatam ante Auguſt. tempora reperiſſent. is enim l. de hæreſib. ad quod vult Deum, hæreſ. 53. *Aeriani*, inquit, *ab*

Aerio quodam sunt nominati. qui cum esset presbiter doluisse fertur quod Episcopus non potuit ordinari. & in Aerianorum hæresim lapsus, propria quoq; dogmata addidisse nonnulla: dicens orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solemniter esse celebranda ieiunia. sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege; Spiritum Aerij condemnauit etiam quingentorum annorum illa, vestro consensu, immaculata Ecclesia: quis ergo in Ministris eundem vel probabit, vel sanctū iudicabit.

Cum sit ergo sacrificium in Ecclesia, & idem defunctis salutare: erit certè locus quidam in quo defūcti solatium hoc expectant: hunc Catholici vocant purgatorium: quem agnouit scriptura sacra, Ecclesia vniuersa & omnes sancti patres, Mat. 5. *Nō exies inde donec solueas nouissimū quadrantem.* Mat. 12. *qui autē dixerit cōtra Spiritū sanctum, non remittetur, neq; in hoc sæculo neq; in futuro.* 1. Corinth. 3. *Vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit.* De purgatorio exponūt sācti patresad Phil. 2. *In nomine Iesu ōne genu flectatur*

tatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum. per verbum *infernorũ* intelligitur purgatorium: quia Dæmones in inferno non flectunt genua in nomine Ieſu. 2. ad Timoth. 1. *det illi dominus inuenire miſericordiam à Deo in illo die.* precatur Apoſtol⁹ pro Vueziphoro vt poſt mortem inueniat miſericordiam 1. Io. 5. *qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccati non ad mortem. Eſt peccatũ ad mortem: non pro illo dico vt roget quis per peccatum non ad mortem & ad mortem* intelligitur purgatorium, & infernus: quia pro exiſtẽtibus in purgatorio oratur, non autem pro exiſtẽtibus in inferno. pro õnibus peccatis, & peccantibus in hac vita oratur. Apoc. 5. *& omnem creaturam quæ in cælo eſt, & ſuper terram, quæ ſub terra & quæ ſunt in mari & quæ in eo: omnes audiui dicentes, ſedent in throno, à quo benedictio, & honor & gloria &c.* Per eos qui sũt ſub terra intelligũtur ij, qui in igne expiatorio cruciãtur: quia qui ſunt in inferno non dant gloriam Deo. Ex doctoribus primorum quingentorũ annorũ

post Christum, quos (vt dixi) aduersarij admittunt: afferam tãtum Latinum vnum & alterum Græcum, qui instar omnium esse possunt. Augustſermone 2. de verbis Ap. *Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, viuorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum: Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosinis, quæ pro eorum spiritibus rogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari: vt cum eis misericordius agatur à domino; quoniam eorum peccata meruerũt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia.* Id. in Enchir. ca 110. *Cum sacrificia siue altaris siue quarumcumque eleemosinarum pro baptizatis defunctis omnibus afferuntur: pro valde bonis gratiarũ actiones sunt: pro non valde malis propitiationes: pro valde malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque viuorum consolationes sunt: quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, vt sit plena remissio aut certe vt tolerabilior sit ipsa damnatio.* Eadem habet repetita ad Dulcichium quæst. 2.

Ecce,

Ecce, aduersari remissionem aut tolerabiliorem damnationem defunctorũ, quæ fieri non potest, nisi existentium in purgatorio, quia in inferno nulla est redemptio: & de Vera & falsa Pœnitẽt. cap. 18. *Prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. hic autem ignis etsi æternus nõ sit: miro tamen modo est grauis. excellit enim omnem pœnam, quam vmquam est passus aliquis in hac vita. numquam in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia passi sint martyres tormenta: & multi nequiter iniqui tanta sustinuerunt supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat talem pœnam tolerare* D. Chrysost. homil. 21. in Acta Apostol. *Non frustra*, inquit, *pro defunctis oblationes fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosinæ: hæc omnia spiritus disposuit, volens vt nos mutuo iuuemus.* Nec purgatorium ergo est Papæ, sed Christianorum, vbi iuuantur animę fidelium, eleemosinis, sacrificijs & orationibus viuentium.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur eius canonizationem hominum.

DOCTOR CATHOLICVS.

PEr hanc deteſtationem plane appa-ret duci aduerſarios aut inuidia cõtra ſanctos: aut ignoratione ſignificationis verbi, *Canonizatio.* quod aliud nõ eſt, quàm ſanctè viuentes in terra ponere in ordine & tabulis ſanctorum in cœlis. qui non eſt mortuus ſanctus in terris nõ eſt ſanctus in cœlis. Nec quiſquam canonizatur, qui certis & euidẽtibus probationibus non fuerit ſanctus in hac vita, moribus & miraculis publica ſummi Pontificis denunciatione comprobatus Et certe ſi nulli eſſent in terris canonizandi, non eſſent DD. Petrus & Paulus ſancti nominãdi. Canonizant præterea ipſi aduerſarij, hoc eſt redigunt in tabulas publicas tanquam ſanctos, ſectarios ſuos, Lutherum, Caluinum, Viclefum, Huſſium: & de martyribus omnium ſectarũ contra Papam coniuratarum Ioannes Foxius Anglus ſcripſit volumen: ex quorum

rum numero ſtatuit ſectæ ſuæ quẽdam qui à Iudice Catholico furti condemnatus, è carcere euaſit: & adhuc vt arbitror ſuperſtes eſt. Sed ad reliqua.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur eius inuocationem angelorum, vel ſanctorum vita functorum: ſimul eius proceſſiones, blaſphemas litanias, multitudinem aduocatorum ſeu interceſſorum, peregrinationes, ſtationes.

DOCTOR CATHOLICVS.

QVo iure adimũt aduerſarij Catholicis, quòd ipſi tam libenter vſurpant? orãt enim ipſi Deum, vt electum, & prædeſtinatum ſuum gregem ſaluet & defendat, qui nunc periclitatur, & vt Papiſtas mercenarios confundat. Dum ita orant: principium non ſunt, nec finis: reſtat ergo vt inter Deum & eos pro quibus orent medij ſint, aut nihil ſint: ſi medij ſunt & multi, ergo mediatores & aduocati: cur ergo hoc inuidẽt, & exprobrãt Catholicis, & ſanctis, vt ſint apud Deũ aduocati & mediatores.

tores. Salutem & gratiam non petunt Catholici à ſanctis: ſed à Deo per ſanctorum inuocationem, & interceſſionem. Si autem poſſunt inuocare angelos & ſanctos: quid mali, ſi piè & religioſe id factitent, aut in ſupplicationibus & proceſſionibus publicis, in conſpectu populi cum modeſtia & muſicorum concentu, aut ſtationes & pia loca viſitando: aut peregrinando in locum ſacrum, vbi experientia & miraculorum perpetratio docet homines exaudiri? Non aliam video rationem, quæ aduerſarios impellat, quam communem omnium ſectarum coniurationem contra omnia pietatis officia quę à Catholicis in Eccleſia vſurpãtur. Angelos autem & ſanctos orãdos eſſe, & inuocandos probatur ex Scripturis, & docent ſancti patres. Zachariæ 1. Rogatur ab Angelo Deus: *Domine exercituum, vſquequo tu nõ miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iudæ quibus iratus es, iſte iã ſeptuageſimus eſt annus?* & addit Propheta: *& reſpondit dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona: verba conſolatoria.*

Daniel

Daniel.10. Michael Archangelus venit in adiutorium angelo agenti causam populi Israël contra principem Persarum. Apocal. 5. de quatuor animalibus & viginti quatuor senioribus dicitur, *Habentes singuli cytharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* 2. Pet. 1. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Rogatur Deus pro vindicta, Apoc. 6. ergo multo magis pro misericordia. *Vsquequo domine sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terris?* Dæmones orant mala, & impetrant à Deo, vt D. Iob tormenta: & Math. 9. Vt electi Dæmones intrarent in porcos. Luc. 16. Dives epulo orauit Abraham pro fratribus suis. At obijciũt Aduersarij, angelos & sanctos non audire aut intelligere preces nostras: Sed cum hoc concedant malis angelis & Dæmonibus, quos experientia sciunt, cùm longissimè absint audire, & accurrere, cur hoc negant bonis angelis & sanctis? Porro angelos sanctos

ctos nos audire & iuuare docet D. Auguſt multis in locis. De Vera religio. cap. 55. *Quiſquis angelorum diligit tunc Deum, certus ſum quod etiam me diligit quiſquis in illo manet, poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit. quiſquis illum habet bonum ſuum, in ipſo me adiuuat: nec mihi eius participationem poteſt inuidere.* De Ciuit. Dei lib. 10. cap. 12. *Nam & cum exaudiunt nos angeli, ipſe Deus in eis exaudit, tanquã in verbo & non manu facto tẽplo ſuo.* De Diligendo Deo. c 3. *De excelſo igitur cælorũ habitaculo, ad conſolandos viſitãdos & ad adiuuandũ nos attrahit ſupereminẽs charitas angelos: propter Deũ: propter nos: propter ſeipſos: propter Deum vtiq; cuius tanta erga nos pietatis viſcera, ipſi quoq; vt dignũ eſt imitãtur. propter nos: in quibus nimirum propriam ſimilitudinẽ admirantur. Proter ſeipſos: quorum ordines inſtaurandos ex nobis tãto deſiderio præſtolantur.* De Cognition. veræ Vitæ, c. 39. *Cũ animæ noſtræ aliquid ſanctum Deum deſiderãt: in hoc ſibi à Deo per sãctos dari, ſine corde, ſine lingua, ſine voce poſtulant animæ ſanctorũ, quibus eſt idem audire quod videre: è conuerſo non*

voces

voces & verba intuẽtes deſiderata eis à Deo impetrant. ſerm. 35. de Sanctis: ſub finem: *Inter igitur fratres, cum toto mentis affectu, BB. virginis nos inter ceſſionibꝰ cõmittamus: omnes eius patrocinia omni niſu implorem⁹: vt dum nos ſupplici eam obſequio frequẽtamus in terris: ipſa nos ſedula prece cõmendare dignetur in cœlis. Neq; enim dubiũ quæ meruit pro liberandis proferre precium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium.* In Pſ. 88. *Natalitia ſanctorũ cum ſobrietate celebratote, vt imitemur eos qui nos præceſſerũt: & gaudeãt de vobis qui orãt pro vobis: vt benedictio domini in æternum maneat ſuper vos: fiat, fiat.* Etiam & modũ quo nobiſcum participant explicat D. Aug. lib. de Cura pro mortuis agenda cap. 15. *Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum, aliqua quæ hic agũtur, quæ neceſſariũ eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt eos nõ noſſe, non ſolum præterita vel præſentia, verũ etiam futura, ſpiritu Dei reuelante cognoſcere: Sicut non omnes homines, ſed Prophetæ dum hic vinerent cognoſcebant, nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe reuelanda Dei prouidentia indicarat.* Plures etiam ad modus

modus addit Auguſt.eodem c. Et eſſe de noſtra ſalute ſollicitos docet S. Cypria.ſerm.de Mortalit. *Patriam noſtram paradiſum cõputamus accurimus, vt patriã noſtrã videre, vt parẽtes ſalutare poßimus: magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum; frequens nos & copioſa turba deſiderat: iam de ſua immortalitate ſecura: & adhuc de noſtra ſalute ſolicita.* Error hic ante mille annos diſperſus per Vigilantium, & ab Eccleſia condemnatus, à Caluiniſtis iterum excitatur. Contra quem multa ſcripſit. D. Hierony. cuius & ſunt hæc verba contra Vigilant. *Si igitur Apoſtoli & martyres adhuc in corpore cõſtituti, quãdo pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, orant pro cæteris: quanto magis poſt coronas, victorias & triumphos? vnus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum à Deo veniam: Et Stephanus imitator Domini, & primus martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniam deprecatur. Et poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas: & poſtquam eſſe cœperit*

cum

cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt. & pro his qui in toto orbe ad ſuum Euangeliũ crediderunt mutire non poterit? Angeli ergo patrum iudicio ſunt mediatores ad Deum pro nobis, & ſunt inuocandi.

Blaſphemas dicitis litanias. Blaſphemi erunt ergo ſancti patres, etiam veſtrorum quingentorum annorum. D. Chryſoſt. vt eſt auctor Sozom. lib. 5. hiſtor. cap. 8. litanias precedente cruce, oppoſuit conſuetudini Arrianorũ: Euſebius Emiſſ. qui vixit anno 420. Homil. in litanijs habita: *Congruum*, inquit, *ac valde neceſſarium eſt, dilectiſſimi fratres, vt ſicut pro tempore feciſtis, & publicæ priuata deuotio totum annum commendatura ſucceſſit: ita etiam triduanis ſupplicationibus vno animo, parique conſenſu feruentibus ſtudijs præcingamur, & poſt. Tunc ſacro tempore fructus patrocinantur: exoraturi enim ſumus, vt dominus infirmitatibus, plagis, tribulationibus, interdicat: malum peſtilentiæ, hoſtilitates, grandines, ſiccitates repellat.* En litanias, & ſine omni blaſphemia litaniarum vſus proceſſiones nominant & probant S. Auguſt. li.

22.de Ciuit.c.8. Tertul. lib.2. ad vxorem, & de præscript. hæret.cap.43. D. Hieronym.ep.ad Eustochium.

Peregrinationem omnes detestamini: Non est tamen detestatus Salomon. 3.Reg.8. *Insuper & alienigena, qui nō est de populo tuo Israel: cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum: cùm venerit ergo, & orauerit in hoc loco, exaudies in cœlo.* Eunuchus Candacis reginæ venit adorare in Hierusalem. Act. 8. frequenter in actis Apostolorū legitur D. Paulus Hierosolymam profectus, ministrare sanctis, & visitare loca sancta. D. Dionysius Areopagita, vt ipse scribit, de Diuin. nominibus cap.3.cum fratribus Palestinam profectus est, vt corpus B. Virginis visitaret: plures inueniuntur piè, & sanctè susceptæ peregrinationes in sacris primitiuæ Ecclesiæ historijs: Chrysost.orat. in SS. Martyres. Iuuentium & Maximum. *Idcirco*, inquit, *sæpè eos inuisamus, ad tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus: ut inde benedictionem assequamur. proinde magna fide, promptitudineque huc veniamus:*

niamus: quo & visis sanctorum monumentis, & consideratis ipsorum præmijs, inde varios thesauros vndequaque colligamus: D. Augustlib.22.de Ciuit.cap.8. *Ad aquas*, inquit, *Tabellitanas Episcopo afferente Proiecto, reliquias martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magna turbæ concurſus, & ocurſus.* idem epiſt.187. Bonifacio presbitero & alteri cuidam in pœnam delicti peregrinationem impoſuit.

De multitudine interceſſorum & mediatorum quod dicunt: Vocis explicatio ab eius deteſtationis ſcrupulo liberabit, Mediatorem ſi dicant, qui mediando pro reo ſatisfacit: certe Catholici vnum tantum Mediatorem Ieſum Chriſtum agnoſcunt. 1. Timot. 2. *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Sin Mediatorem intelligant: vel qui vtrinque pacta conditioneſque refert: vel qui pro altera parte ſuplex interpellat, plures certe poſſunt eſſe Mediatores: eo modo dicitur Moyſes mediator. Deutero. 5. *Ego medius & ſequeſter fui inter Deum & vos.* ad Gal. 3.

Data eſt lex per angelos in manu Mediatoris, id eſt, Moyſis. hic Chriſtus vocatur mediator, qui leges Dei hominibus nunciauit. Hebr. 12. Mediator Noui teſtamenti, &c. Alio modo non ſolum Chriſtus, ſed & viui, & angeli mediatores ſunt: ita tamen vt ad vnum Chriſtum interpellatio dirigatur. hic Rom. 6. Interpellare dicitur pro nobis. 1. Ioan. 2. dicitur aduocatus noſter: ita Eccleſia Catholica ſemper interpellationes ſuas cõcludit per Chriſtum dominum noſtrum. Ex hoc loco diſceatur quam fraudulenter & malignè Miniſtri cum Catholicis agant.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur eius cultum imaginum, reliquiarum, & crucis.

DOCTOR CATHOLICVS.

ADuerſarij ſiniſtre docẽt populum Catholicum adorare imagines, ea adoratione qua ethnici adorant ſua idola: quia non hærẽt Catholici in imagine, vt eam adorent, tamquam Deum: ſed

sed in imagine adorant hoc quod imago menti repræsentat: Sicut cum nomẽ IESVS auribus audiunt, flectunt genua, & Iesum adorant: non autem verbum illud quod litteris constat: ita cum oculis vident imaginem, non lignum aut picturam adorant: sed quod illa imagine significatur. Cum autem dicunt aduersarij imagines prohiberi Exod. 20. *Non facies tibi sculptile*: fallax est argumentum: Nam vsus omnium hominum, etiam aduersariorum docet contrarium. Triplex est enim vsus imaginum: ad idololatriam, ad repræsentationem, & ad ornatum: ex quibus solus primus prohibetur illo præcepto. Ad ornatum domus eas etiam habent aduersarij: Ad repræsentationẽ etiam ijs vsi sunt cùm ethnici tum Catholici. Ethnici: vt præclara sua facinora & victorias cum laude partas posteris consecrarent. Catholici: vt Christi vitam & sanctorum sibi imitandam proponant. Si vrgent aduersarij populum rudem eas adorare tamquam idola: Id si contingat doceri

debet populus, vt abusum vitetur, non ideo tamen tollendæ imagines, aut populus bono vsu priuandus. Qui enim (familiari vtor exemplo) filij nasum mucore aspersum viderit, non vellendum sed tergendum dicet. membrum enim humano vultui dicet necessariũ. Ab ipsis Apostolorum tẽporibus vsus fuit imaginum in Ecclesia Catholica vsque ad nos: Etiam Lutherani ministrorum patrini eundem adhuc retinẽt B. Magnus. lib. de Spiritu sancto, cap. 18. *Rex dicitur regis imago: non autem duo reges: neque enim potestas scinditur, neq; gloria diuiditur: quemadmodum autem principatus ac potestas dominans nobis vna est: sic & glorificatio, quam illi deferimus, vna est, non multa. itaque imaginis honor ad exemplar primum refertur.* S. Athanas. sermo. 4. cõtra Arrian. *In imagine regia species regis & forma apparet, & in rege imaginis species. sine enim omni discrepantia vultus regis in imagine expressus est: vt qui videt imaginem, videat in ea regem, &c.* & post pauca: *qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum regem: quippe cum ipsa imago*

imago nihil aliud sit quàm regis forma ac species. idem docet S.Chrysost.sermon. in parabol. de semente. Tertull. lib. 2. Aduersus Marcio. cap. 22. Cyrill. Alexand.ex interpr.in Matt. *Imaginum vsū nobis supplent parabolæ,quæ signorum virtutem subijciunt:nimirum per oculorum appositionem: manuum tactum: & quæ in nudo intellectu,cōtemplationem obscurè habēt.* idem docet Ambr.lib.3.ad Grat. cap.9. & vniuersa patrum turba.

Idem de crucis adoratione dicēdum. cuius consignationem pectori, fronti, vel corpori,vel fugandis etiam Dæmonibus,& malis omnibus auertendis adhibitam docet S.Chrysost. hom. 88. in Matt.vbi & suadet crucem pectori imprimendam ad cohibendos prauos in corde motus.D.Augustl.lib. 22. de Ciuit.cap.8.testatur sæpe morbos esse depulsos virtute signi sanctæ crucis.Gregor.Nazianz.orat.in Iulian. Apost. lib. 6.ait Iulianum ab impijs idolorum cultoribus ductum in specum quendam Dęmones consulturum.vbi dum territus,pro consuetudine quam à Christia-

S. cruc. nis didicerat signum crucis ederet Dæmones omnes eo signo pulsos euasisse. idem habetur lib. 6. histor. tripart. ca. 1. Athanas. Hierony. & Damas. referunt sanctos Antonium, Hilarionem, & alios multos eremi cultores, hoc signo malignos spiritus depulisse. Sed de virtute huius signi audiamus D. August. tract. 118. in Euang. Ioan. *Postremo, quid est, inquit, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium* 1 *siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue* 2 *oleo, quo chrismate vnguntur, siue* 3 *sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* 4 & Serm. 181. de Temp. cap. 3. *Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum:* 1 *sanctificatur fons Baptismatis, initiantur* 2 *etiam presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici* 3 *& omnia quæcumque sanctificantur,* 4 *hoc signo dominicæ crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur.* de Rectitudin. Cathol. conuersat. *Scitote, quia multos aduersarios habetis, qui cursũ vestrũ impedire festinant, ideo omni loco omni ho-*

ra

ra crucis signo vos armate, crucis memoria vos munite, hoc enim solum timent, illud solum expauescunt: hoc & vobis datum est scutum vt positis sagittas maligni ardentes extinguere. & paulo post: *siue sedetis siue ambulatis, siue manducatis, &c. iugiter signum Christi muniat frontem vestram.* ibidem sermone 19. de Sanctis. *Hoc signum præsidium est amicis; obstaculum est inimicis. huius crucis mysterio fons regenerationis consecratur. eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt, cum eiusdem crucis caractere basilicæ dedicantur: altaria consecrantur: altaris Sacramenta, cum interpositione dominicorum verborum conficiuntur: Sacerdotes & leuitæ per hoc idem ad sacros ordines promouētur. & vniuersaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in huius virtute perficiuntur.* in Scotia nostra docet experientia turbam magorum & sagarum quæ veneficijs suis totum regnum inficit adeo crucis signum perhorrescere, vt ne efformare quidem possint. regē ipsum

quod crucis ſignum ex collo ſuſpẽſum gereret, aquarum ſubmerſionẽ, quam illi venefici moliebantur vitaſſe, ex ipſis ſunt confeſſi quidam morituri, & multi norunt. hoc inter cætera dũ Dæmoni ſe proſtitunt ac deuouent, præcipuè paciſcuntur: ne vmquam ſe crucis ſigno muniant.

De adoratione, virtute & miraculis reliquiarum, multæ ſunt probationes. 4.Reg.23. Tactu oſſium Elizei mortuus ſuſcitatus eſt. 4 Reg.2. Tactu pallij Eliæ Iordanis diuiſus eſt. Act.5. & 19. vmbra B.Petri & ſudariolis ac ſemicinthijs D. Pauli langores ſanati ſunt. Matt.9. Mulier cum fimbriam Chriſti tetigit à fluxu ſanguinis eſt liberata. D. Auguſt. de Ciuit. Dei lib.22. cap.8. pro certo refert, Epiſcopo portante reliquias ſancti Stephani, certã mulierem viſum recepiſſe, & Larcillum Epiſcopum, à fiſtula inſanabili curatum. De reliquiarum cultu ſic ſcribit Theodoretus, Cyri Epiſcopus, qui vixit anno Chriſti 440. lib.8. Græcarum affectionum *Martyrum templa conſpicua cernuntur magnitudine, præſtan-*

præſtantia, omni præterea ornatus genere variata: ſplendoremque quodammodo pulchritudinis ſuæ latè fundentia: Nec hoc per annum ſemel, aut bis, vt quinquies aduentamus: ſed in his ſæpenumero dies feſtos peragimus: ſæpe diebus ſingulis eorum martyrum laudes hymnoſque Deo cantamus. quique homines proſpera ſunt valetudine, conſeruari ſibi eam à martyribus petunt. qui vero ægritudinem aliquam patiuntur ſanitatem expoſcunt: inſuper & ſteriles viri & mulieres dari ſibi filios poſcunt. Qui vero parentes ſunt integra ſibi & propria cuſtodiri, quæ conſecuti ſunt dona. item qui peregre aliquo proficiſcuntur, petunt ſibi martyres comites eſſe in via: vel potius itineris duces. qui iam vero ſoſpites redierunt gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. non quia ſe ad eos accedere arbitrẽtur: ſed quod orent Dei martyres, tamquam diuinos homines, interceſſoreſque ſibi eos apud Deum aduocent & precentur. piè vero fideliterque precatos, maxime conſequi quæ deſiderant teſtantur, eaque votorum Dei dona perſoluunt. manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij vero pedum:

pedum: alij porro ſimulachra ſuſpendunt ex argento aurôue confecta: gratiſſima namque accepit eorum dominus qualiacumque ſunt dona: nec exigua, nec vilia dedignatur. quippe qui ea proferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium experta teſtantur morborum expulſionem: cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, quæ ad ſanitatem conſequentis, allata: hæc, inquam ſepulcrorum ibi martyrum quæ ſit virtus oſtendunt: martyrum autem virtus quem ipſi coluerunt Deum, eſſe Deum declarat. Et hoc loco ad aduerſariorum eruditionem multa, ad eorundem etiam confuſionem multa notantur. idē docuit totus antiquorum patrū chorus. D. Hierony. ep. 53. ad Ripar. *Honoramus autem reliquias martyrum, vt eum cuius ſunt martyres adoremus: honoramus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet in dominū: qui ait Matt. 10. Qui vos ſuſcipit me ſuſcepit. ergo Petri & Pauli immundæ ſunt reliquiæ? ergo Moſi corpuſculum immundum eſt: quod iuxta veritatem Hebraicam ab ipſo ſepultum eſt domino.* Et ep. 17. ad Paul. & Euſtoch. ad Marcell. *Martyrū vbique ſepulchra venera-*

ramur

ramur, & ſanctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat etiam ore contingamus: & monumentum in quo dominus conditus quidam exiſtimant negligendum? Reliquiarũ etiam cultum imperat lex ciuilis: l. Nemo. C. de Sacroſanct. Eccleſ. l. terminus. C. de Epiſcop. & Cleri. l. neque. C. de operib. publ.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur dedicationem Eccleſiarum, altarium, aut dierum: vota creatis rebus facta.

DOCTOR CATHOLICVS.

DEdicatio templorum fuit in vetere lege inſtituta. 3. Reg. 8. *Et dedicauerunt templum Domini, rex & filij Iſraël.* 2. Paralip. 15. Numer. 7. 1. Eſdr. 6. 2. Eſdr. 12. 1. Machab. 4. Hanc præſens Chriſtus dominus probauit. Io. 10. *facta ſunt autem ænceníа in Hieroſolymis* Apoſtoli à Chriſto edocti templa dedicarunt. Abdias Babylon. lib. 8. certam. Apoſtol. *Orante Bartholomeo & eiectis Dæmonibus è templo, cum reſpondiſſent omnes Amen: Apparuit angelus domini ſplendidus ſicuti Sol, habens alas, & per quatuor angulos templi*

templi circumuolans, digito in quadratis ſaxis ſculpſit ſignum crucis, & dixit: Hæc dicit dominus qui miſit me, ſicuti omnes vos ab infirmitate veſtra mundamini, ita mundani templum hoc ab omni ſorde, & habitatore eius: quem iußit Apoſtolus Dei ire in locum deſertum ab hominibus. Concilium Nicenum primũ ſtatuit non iterandas Eccleſiarum conſecrationes. Theodoret. lib. 4. Eccleſ. hiſt. *Præceperat imperator vt Concilium à Tyro veniret ad AEliam: nec non & alios vndique cõgregari præceperat, vt templa ædificata dedicarentur.* Euſeb. in vita Conſtant. & Nicephor. lib. 8. ca. 26. tradunt Conſtantinum duxiſſe omnes patres Conſtantinopolim, vbi æuæenia & feſtum diem celebrarunt. & eſt idem auctor Euſeb. lib. 7. cap. 49. varia tum tẽpla fuiſſe dedicata. S. Chryſoſt. homil. 6. de milit. Chriſt. & homil. 7. de eruditio. diſcip. Ambroſ. in cap. 10. ad Hebræos, Eccleſias dedicari & conſecrari fatentur. Imo D. Auguſt. ſermones compoſuit de Dedicatione Eccleſiarum.

Aduerſarij docent Catholicos ædificare

ficare & dedicare templa ac altaria & vota facere, rebus creatis: ipsi falluntur & populum fallunt. hæc enim ad cultum soli Deo debitum referuntur, quãuis ad memoriam sanctorum fiant. nã ædificantur & dedicantur templa & altaria, vt in eis Deo sacrificetur: soli autem Deo fit sacrificium: quia est cultus latriæ, qui soli Deo debetur. vnde Augustin. contra faustum Manichæum, lib. 20. cap. 21. *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate celebrat; & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrũ, sed ipsi Deo martyrum, quamuis in memorias martyrum, constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporũ assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, Deo offertur: qui martyres coronauit: apud memorias eorum quos coronauit: vt ex ipsorum locorum admonitione maior effectus exurgat, ad acuendam charitatem. & in illos quos imitari possumus: & in illum quem adiuuantem poscimus. Colimus*

contra in Papist.

ergo

ergo martyres, eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei: quorum cor ad talem pro Euangelica veritate paßionem paratam eſſe ſentimus: ſed illos tantò deuotius, quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita fœliciore victores, quàm in iſta adhuc vſque pugnantes. at illo cultu qui Græcè latria dicitur, latinè verò, vno verbo dici non poteſt; cum ſit quædã & propria diuinitati debita ſeruitus: Nec colimus, nec colendum dicemus, niſi vnum Deum. cum autem ad hũc cultum pertineat oblatio ſacrificij, (vnde idololatria dicitur, eorum qui hæc etiam idolis exhibent) nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam angelo, & quiſquis in hunc errorem dilabitur corripitur per ſanam doctrinam; ſiue vt corrigatur, ſiue vt caueatur. hæc eſt doctrina D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 27. & lib. 22 c. 10. & alibi multis in locis. Eadẽ eſt doctrina omnium Catholicorum: etſi aduerſarij doctrinam contrariã Catholicis imputẽt.

Catho-

Catholici altaria, in quibus litetur incruentum sacrificium semper consecrarunt. D. Areop. hierar. cap. 4. part. 3. *Sacratius*, inquit, *aduerte quod diuini altaris consecrationem sanctissimorum mysteriorum lex sacratissimi vnguenti castissimis infusionibus perficit: est autem supercœlestis, & supersubstantialis* hæc diuina *operatio, totius naturæ diuinitus indultæ sanctificationis initium atque substantia, & perficiens vultus*. Imo vti sanctissimam Ecclesiæ partem semper veneratos fuisse nomen ipsum Græcum θυσιαστήριον indicat: & multi tradunt veteres. Tertul. de Pœnit. *Pœnitentis*, dicit proprium *pedibus presbyteri aduolui & aris Dei adgeniculari*. Legito Iren. lib. 4 cap. 20 Athan. in vita D. Anthonij Hieron. in ep. Nepotiani.

Similiter & votum est cultus latriæ, soli Deo debitus: quamuis eius materia plerumque esse possit circa creaturas. vt vouere Deo peregrinationem Hierosolymitanam, Romanam, Laurentanam, Compostellanam, & similia. de hac materia votorum audiatur D. Augustin. de fide ad Petrum cap. 3. *Vouete*

& reddite domino Deo noſtro quod ſcit eſſe licitum, & ad profectum vitæ melioris pertinere cognoſcit, & libenter voueat & celeriter reddat: & in hoc quod votum reddit meliori ſemper conatu perficiat: omni enim vouenti Deo & reddenti quod nouit, ipſe quoque Deus reddet cœleſtis regni præmia quæ promiſit.

De inſtitutione dierum feſtorum: peterem libẽter ab aduerſarijs, quid ſit peccati diebus quibuſdam certis & ſtatutis, præcipere populo, vt in memoriã reuocet beneficia Chriſti præcipua. veluti incarnationis, natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis, miſſionis Spiritus ſancti, ſeu pentecoſtes. & his diebꝰ, de ijs beneficijs meditari: & Deo gratias agere: quod ijs illum redemerit à poteſtate Dæmonis, & inferni, & meruerit nobis gloriam ſempiternam. Teſtantur ſcripturæ populum Iſraeliticũ inſtituiſſe Senopegia feſta, tabernaculorum. & multos dies feſtos conſecraſſe Deo: in memoriam beneficiorũ acceptorum. Cum Chriſtus ipſe Apoſtolos comitatus ſæpius ad huiuſmodi ſolem-

ſolemnitates colendas perrexerit: quid mali ſi ſimiliter, pia memoria, homines proſequantur certos & ſtatutos dies, quibus Apoſtoli, martyres, confeſſores, & virgines mortem pro Chriſto oppetierunt? aut ſanctiſſime vitam finierũt? & vt ex conſideratione vitæ & laborum quos Chriſti cauſa exantlarunt, inducatur populus ad eorum virtutes imitandas? Deteſtari obſeruationem dierum feſtorũ hæreſis fuit Manichæorum contra quos ſcribit D. Aug. lib. cõtra Adiuuantium Manichæum c. 16. *Quod dicit Apoſtolus, Dies obſeruatis & ſabbatha, & ſolemnitates, timeo vos, ne fruſtra laborauerim in vobis: non ſic ſcriptũ eſt, vt Adiuuantius ponit: non enim ibi nominat ſabbathum Apoſtolus. dicit enim dies obſeruatis & annos & tempora: timeo vos ne fruſtra laborauerim in vobis. ſed putet eſſe de ſabbatho dictum: namque nos non dicimus iſta non eſſe obſeruanda: ſed illa potius quæ his ſignificantur. illi enim ea ſimiliter obſeruabant, non intelligentes ad quarũ rerum ſignificationem & pronunciationẽ pertinerent: hoc in eis culpat Apoſt. & in omni-*

bus qui seruiunt creaturæ, potius quã Creatori: Nam nos quoque & dominicum diem & pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierũ festiuitates. Sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis significãt tẽporibus. D. Aug. ergo apertè docet dies & solemnitates festorũ, & hos coluisse, & à populo Christiano suo tẽpore fuisse celebratos. hinc facile est intelligere, qua pietate & reuerẽtia sint aduersarij erga Christum, & eius memoriæ consecratos profanos esse volunt. profecto nisi dies isti instituerentur, & colerentur, quibus gesta Christi sanctorũq; virtutes populo commemorarentur eorũ recordatio ac memoria ex hominũ animis funditus deleretur: sicut iam fere perijt in Scotis hoc exiguo tempore, quo dominati sunt hi aduersarij nouatores.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur eius orandi, & loquendi formam lingua peregrina.

Do-

DOCTOR CATHOLICVS.

LIngua latina qua oratur, psallitur & sacrificatur in Ecclesijs Catholicis, non est lingua peregrina, & extranea, sed cõmunis omnibus nationibus: nec prohibet Papa aut Ecclesia Catholica populum, ne oret Deum in lingua sua vulgari: aut vt doceantur rudes Catechismum, aut orationes in lingua materna: imo hoc præcipit fieri & facit: sed quia sacrificia, psalmi, & orationes cõmunes in Ecclesia vsitatæ non sunt hominum particulariũ, sed totius Ecclesiæ nomine afferuntur, & dicũtur Deo, angelis, & sanctis intercessoribus apud Deũ: sufficere debet populo intelligere illis ordinib. & officijs gratias agi Deo: & remissionem peccatorũ peti à Deo: & auxilium per intercessionem sanctorum. Deus profecto & sancti omnes linguas intelligunt. Quæ vero offeruntur & dicuntur nomine Ecclesiæ exaudiuntur lubentius, quam quæ nomine particulari. Alia quoque est ratio cur præcipiat Ecclesia hæc fieri lingua latina: ne videlicet irrepant abusus

& ſuperſtitiones, de quibus Eccleſia latina iudicare non poſſet, ſi lingua vulgari vniuſcuiuſque nationis iſta fierẽt. præterea ſacrificium Miſſæ, officium diuinum, & expoſitiones Bibliorum pertinent ad clerum, qui linguam latinam intelligit: & ea populo vulgari lingua explicare debet. addo quoque; hoc fieri ad euitandos errores qui naſci poſſunt ex difficultate ſcripturarum, & officij Eccleſiaſtici: vt ſana doctrina & confirmata in Eccleſia incorrupta & illibata conſeruetur. De hac ſcripturarum difficultate admonet nos his verbis D. Petrus epiſtola 2. cap. 3. *Domini noſtri longanimitatem ſalutem arbitremini, ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis: ſicut & in omnibus epiſtolis loquens in eis, de his in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*: Experientia inſuper docet nos, tot eſſe diuerſitates in Biblijs vulgaribus impreſſis Anglicè & Scoticè, quot ſunt diuerſa tempora quibus typis

typis mandata ſunt: & plerunque tantam eſſe obſcuritatem ſcripturarum, vt earum ſenſus non minus in vulgari ſermone quam in latino ſit illis incognitus: vt hæc quæ ſequũtur exempla conprobant pſal. 67. *Rex virtutum dilecti, dilecti & ſpeciei domus diuidere ſpolia: ſi dormietis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ. & poſteriora dorſi eius in pallore auri dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon, mõs Dei, mons pinguis, mons coagulatus, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos.* & in canticis cap. 4. *dentes tui ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauachro, omnes gemellis fœtibus: & ſterilis non eſt inter eas. ſicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium duo vbera tua ſicut duo humili capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.* & cap. 7. *vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigẽs poculis: venter tuus aceruus tritici, vallatus liliis: Collum tuum ſicut turris eburnea: Oculi tui ſicut piſciha in heſebon, quæ ſicut in porta filiæ multitudinis: naſus tuus ſicut turris libani,*

quæ respicit contra Damascum. hæc omnia populo Scotico ad verbum pronũtiare Ministrum non pudeat, totus certè hic liber, qui de mysterijs Christi & Ecclesiæ est plenus huiusmodi difficultatibus, quales etiã sũt in libris Prophetarum. Et certe quamuis intelligãt aduersarij & plebei verba Scotica: sensus tamẽ horum verborũ nõ minus est obscurus in lingua Scotica, quàm in latina. licet perstrepant aduersarij omnia in scripturis esse facilia, & Spiritum sanctum docere omnia. quod si verum est, quomodo tot Ministri Scoti exiguę sane literaturæ qui ministeriũ hoc profitentur, populo Scoticè declarabunt qui latinum vix capere & intelligere
6 potuerunt? Imo non potest inter ipsos aduersarios conseruari vnitas per linguas vulgares: sed necesse habẽt recurrere ad linguam latinam omnibus nationib⁹ vsitatã, quia nec intelligũt Geneuẽses Ministri idioma Scoticum, aut Anglicũ: nec Angli aut Scoti Germanicum, aut Gallicũ. Necesse ergo est, linguam statuant communem & generalem

lem, vt vnitas inter ipſos ſeruetur: alioquin quis de errorib. iudicabit: niſi ſit lingua cõmunis in qua ones cõueniãt.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur auricularẽ eius confeſsionem: ſeipſos caſtigantes & in diſciplinam redigẽtes: deſperatã eius & incertam pœnitentiã: ſatisfactionẽ hominũ pro peccatis: eius opus operatũ: opera ſupererogationis: indulgẽtias.

DOCTOR CATHOLICVS.

IOannes VViclef à Montaniſtis, aut ſaltem Andianis hanc hæreſim traduxit: quã in VVicleffi puluere ſepultã, poſt Lutherũ, vos iterũ ſuſcitaſtis. Omnẽ ſi tollitis auricularẽ cõfeſſionem: iã primæ fidelitatis veſtræ parẽtem Ioannẽ Knox cõdẽnatis: quẽ Edinburgi, nõ ſine magno Reip. ſcãdalo, publicas cõfeſſiones inſtituiſſe ſatis: quas in Germania ſuſcipiunt Lutherani: Nonne etiam Diaconi veſtri peccantiũ confeſſiones audiebãt? Sed veſter iã creuit in Sapiẽtia Spiritus grandior factus, vt moleſtũ hoſpitem cõfeſſionem expulit. Quam tamen Eccleſia Catholica vt ſalutarem peccãtiũ medicinã ſuſcepit & cãplectitur

probant cùm vetus tum nouum teſtamẽtum: Numer. 5. *vir ſiue mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere: confitebuntur peccatum ſuũ.* Pſal. 31. *dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino.* Math. 3. *Baptizabãtur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* Actorum 19. *Multi credentes veniebant, confitentes & annunciãtes actus ſuos.* 1. Ioã. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* Clemens 1. epiſt. 1. ad Iacob. fratrem domini: *Quod ſi forte (ait) alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ ſuperius memorauimus latenter irrepſerit: non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit hæc confiteri huic qui præeſt: vt ab ipſo per verbum Dei, & cõſilium ſalubre curetur: quo poſſit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis efugere: & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.* Iterum eadem ep. *Inſtruebat Petrus actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire, & in omni loco Deum reſpicere, firmiter ſcire cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere, & Sacerdotibus domini*

mani-

manifestare. Dionys. Areopag. ep. ad Demophilum: *Tu vero* (ait) *vt litteræ tuæ indicant, procidentem Sacerdotem Sacerdoti, impium* (vt ais) *atque peccatorem, nescio quo pacto, contra disciplinæ ordinem, astans calce abiecisti ac repulisti. Cum ille quidem verecundè* (quod oportuit) *fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse: neq; exhorruisti insuper & Sacerdotem optimum lacerare conuicijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.* Tertull. lib. de Baptismo extremo. *ingressuros* (ait) *Baptismum, orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus, & peruigilijs orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum: vt exponant etiam Baptismum Ionnis.* Marc. 1. *Tingebantur* ait *confitentes delicta sua*, idē habet sub nomine exomologesis lib. de patientia, li. 2. contra Marcionem ad calcem. Cyprian. lib. de lapsis extremo: *Confiteātur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dū admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud dominū grata est.*

Faten-

Fatentur ipſi aduerſarij multum profuiſſe confeſſionem auricularem Catholicã, qua arcebãtur homines à vitijs & cogebantur ad reſtitutionem, & præſertim ad continendũ à libidine. Experiẽtia enim didicerũt multo facilius & ſæpius in hoc peccari, quã tempore Catholicorum. Cur autẽ vocẽt aduerſarij pœnitentiã Catholicorũ deſperatam & incertã, nulla ſubeſt ratio præter odiũ & contẽptum totius doctrinę Catholicæ: cũ conſolatio, quã percipiũt Catholici ex Sacramẽtõ pœnitẽtiæ, & cõfeſſionis, ſignũ ſit diuini illius fructus, quẽ ſecum affert. Doctrina autẽ Catholicorũ eſt, pœnitentiã continere contritionẽ cordis, confeſſionẽ oris & ſatisfactionẽ operis. de neceſſitate cõfeſſionis & Sacramẽti pœnitentiæ nos admonẽt peccata quæ cõmittimus, quæ pœnitẽtia remittuntur: nã ſicut Baptiſmo recipimur in Eccleſiã, & in corp⁹ myſticũ Chriſti: cõfirmatione in ea roboramur in pugnam cõtra carnẽ, diabolũ & mundũ: ita pœnitẽtia reſurgim⁹ à peccatis & ideo vocatur ſeꝯda tabula poſt naſuragiũ: per

Eu-

Euchariſtiã Chriſto cõiuncti & quodã modo incorporati creſcim⁹,& in ei⁹ timorẽ & amorẽ inflãmamur.ſed fruſtra eſſet pœnitẽtiæ inſtitutio niſi eſſent eius vſus & fructus per cõfeſſionem & ſatisfactionem, vt ſupra dictum eſt dũ de Sacramento pœnitentiæ egimus.

Sed flagellare, eſt affligere corpus,& illud pœna aliqua ſubdere animi imperio eodẽ plane modo, quo idẽ facimus ieiunio,vigilijs,cilicio,ſacco, cinere,& huiuſmodi corporis caſtigationibus, quarũ in ſcripturis frequens eſt mẽtio, & continuus in Eccleſia Dei vſus. ſed horridã,& quæ *corpus in ſeruitutem redigunt*,vt ait & fecit D. Paulus ferre non poſſunt delicatuli Miniſtri:& ideo hæc inter deteſtanda collocant. Opus operatũ appellant Catholici illud quod ex ſe,& ſuapte vi affert gradũ aliquẽ gratiæ & sãctificationis,eo quod fit ex diuina inſtitutione:cuiuſmodi sũt Sacramẽta: opera ſupererrogationis vocãt ea quę ſine vlla obligatione iuſtitiæ ſed ex ſola charitate fiũt:vt Mar.10.Lucę 19.*Vade & vẽde õnia quæ habes & da pauperibus.*

De

De ſatisfactione hominum pro peccatis ſiue de meritis bonorum operum plenæ ſunt ſcripturæ Pſal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas, propter retributionẽ.* prouerb. 21. *Seminanti iuſtitiam merces fidelis.* Mat. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Idem ca. 10. *& quicumque dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedẽ ſuam.* & 16. *Reddet vnicuique ſecũdum opera eius.* idem repetit D. Paulus ad Rom. 2. *Reddet vnicuique ſecundum opera eius.* 2. Corinth. 5. *omnes nos manifeſtare oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonũ, ſiue malum* Idem Apocal. 20. & 22. & ad Heb. 13. ſic loquitur Apoſtolus: *Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* & apertius Eccleſ. 16. *omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* & cum in ſcripturis ſint hæ voces, *retributio, promereri, merces, reddere vnicuique ſecundum opera ſua*: aperte conuincitur eas correſpõdere, & meritis.

Indul-

Indulgentię ſunt applicationes ſummi pontificis diſpenſatoris theſaurorũ Eccleſię, meritorum ſuper abundantiũ Chriſti & ſanctorum, pro ſatisfactione pœnarum temporalium peccatis hominum debitarum: culpa enim & reatus mortis æternæ non deletur ſine Sacramentis baptiſmi aut pœnitentiæ. hæc eſt doctrina Eccleſiæ Catholicæ & vera. de qua vide fuſius Cardinal. Bellarminum, lib. de indulg. & Iubileo. obſtrepant & reluctentur quantum velint aduerſarij, portæ inferi nõ pręualebunt aduerſus eam.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur eius generalem & dubiam fidem: & iuſtificationem per opera.

DOCTOR CATHOLICVS.

SEcundum Catholicos: fides eſt habitus, ſeu qualitas quædam diuinitus menti infuſa, qua intellectus firmiter aſſentitur ijs omnib. quæ à Deo sũt reuelata. hæc eſt fides vera quæ ſine operibus mortua eſt. cũ verò in ſcripturis dicitur, fide purificari corda, fide hominem

minem iuſtificari, ex fide eſſe iuſtitiam iuſtum ex fide viuere,& ſi quę ſunt huiuſmodi:non debemus cogitare per ſolam perſuaſionem eorũ quæ fides præſcribit, ſine vllis actionibus humanis iuſtitiam, vitam,& ſalutem credentib. dari:ſed hęc ideo ita dicuntur quia quę non potuit facere natura per ſe, vel lex Moſaïca tanquam rudis & imperfecta, id fides præſtet.eo quod nos ducat ad Chriſtum:cuius meritis per opera quæ fidem ſequuntur, & quæ dictante fide peraguntur.qualia ſunt pœnitentia,Sacramentorum vſus, & opera bona infundatur gratia, remittantur peccata, detur merces vitæ æternæ.

Fides Catholicorum quamuis ſit generalis, vt aſſentiatur omnibus à Deo reuelatis,non eſt tamen vel dubia, vel deſperata:vt falsò calumniãtur aduerſarij.imo potius fides ſpecialiter aduerſariorum,qua certitudine fidei credunt ſe eſſe iuſtificatos,& prædeſtinatos, eſt deſperata,& dubia.cùm paſſim in ſcripturis dicatur, hominem non eſſe certum de ſua iuſtitia, aut eſſe amicũ Dei:

niſi

niſi certitudine ſpei, aut fiduciæ: cuius certitudinis ſigna ſunt trãquillitas cõſcientiæ, mentis ſerenitas, internum gaudium, à peccatis abſtinere: pœnitẽtiæ opera aſſumere, perturbationes animi grauiores iræ, libidinum, vanæ gloriæ, & ſimilium vitiorum ſuperaſſe: virtutum officijs delectari, & mundi oblectationes deteſtari: hæc ſunt, ex quibus homo poſſit certitudinem ſuæ ſalutis haurire. vt pulchrè docent paſſim doctores & patres antiqui Eccleſię Catholicæ: præſertim D. Aug. de Correp. & gratia cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Satanæ angelum, ne extolleretur, Paulus colaphizatur Apoſtolus*: iſtis indicijs ſalutis carent aduerſarij, & eorum ſectatores. ſpeciali vero fide credere ſe eſſe iuſtũ, eſt potius iniqua & deſperata præſumptio.

De hac incertitudine ſuæ iuſtificationis plena eſt ſcriptura: Eccleſiaſtes

9, *Neſcit homo an amore an odio dignus ſit.* Eccleſ.5. *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Iob.9. *Si ſimplex fuero hoc ipsū ignorabit anima mea.* Prouer.20. *quis poteſt dicere mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato.* 1. Corinth.4. *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me dominus eſt.* & c.10. *qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et Phil. 2. *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini* & Rom. cap. 11. *Noli altum ſapere: ſed time.* ita intelligūt has ſcripturas Amb. Aug. Hiero. Cypr. ea verò quæ de certitudine iuſtificationis ſcripturæ loquuntur: de certitudine ſpei & fiduciæ intelligenda ſunt: ex teſtimonio bonæ conſcientiæ. Nunquam enim reperient aduerſarij in ſcripturis: in ſola fide iuſtitiæ & prædeſtinationis certitudinem eſſe poſitam. mentiuntur autem vt ſolent Miniſtri, & falsò imponunt Catholicis: cum dicunt eos ſemota fide & gratia diuina, ſolis tantum operib. eſſe contētos ad ſuam iuſtificationem. imo tradunt, & aſſerunt Catholici: omnia opera quæ placent Deo, eſſe ipſius Dei dona.

dona. & Deũ in iuſtificatione impij, ſua gratia eum preuenire. nec fide, nec operibus poſſe hominem iuſtificari, niſi gratia & auxilio Dei concomitante, & cum eo perſeuerante; nec docent Catholici hominem in ſui iuſtificatione nihil facere, & carere libero arbitrio, more Belluarum, vt docent Caluiniſtæ. nec pure paſſiue ſe habere quaſi ſaxum & ſtipes: vt docent Lutherani Illyrici: ſed aiunt Catholici hominẽ libero arbitrio eſſe præditum: quo gratia & auxilio Dei præueniente, per fidem & bona opera operatur ſalutem. vt per opera præſertim gloriam conſequatur æternam: & clare docet Chriſtus. Math. 25. *venite benedicti patris mei: poſſidete regnum: eſurui enim & dediſtis*, nec dicit, *credidiſtis*, ſed *dediſtis*.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur aquam benedictam & campanarum benedictionem.

DOCTOR CATHOLICVS.

ADuerſarij deteſtantur aquam benedictam & cãpanarum benedi-

ctionem : quia putant & docent talibus creaturis nullo modo posse tribui
+ virtutem aliquid operandi : sed fallun-
tur. Naaman enim Cyrus per lotio- 1
nem aquæ Iordanis fuit à lepra libera-
tus : iusculum Prophetarum ex Calla- 2
cinthide factum , amarum, modica fa-
rina reddidit Elizeus suaue: sonitu tu- 3
barum corruerunt muri Hierico: Tho- 4
bias iunior felle piscis restituit patri lu-
men oculorum : Christus ipse luto & 5
sputo cum aquæ lotione cæcum illu-
minauit. Quare igitur aqua , & cam-
panæ per inuocationem virtutis Chri-
sti , vi benedictionis Episcopalis aut
Sacerdotis Dei non possunt accipere
virtutem operandi aliquos effectus,
in vtilitatem credentium ? sed vt ad-
uersariis in hac re respondeatur ap-
ponam hic orationes quibus vtitur Ec-
clesia Catholica in conficienda aqua
benedicta , & benedictione campana-
rum : ex quibus facilè erit videre quo
authore accipiũt virtutem & ad quem
finem.

Bene-

Benedictio in conficienda aqua benedicta.

Deus qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris; & elemento huic multiſmodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde: vt creatura tua myſteriis tuis ſeruiens, ad abigendos dæmones, morboſque pellendos, diuinæ gratiæ ſumat effectum, vt quicquid in domib. vel in locis fidelium hæc vnda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic reſideat Spiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt quod incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aſperſione huius aquæ effugiat: vt ſalubritas per inuocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus ſit defenſa, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

Alia oratio.

Deus inuictæ virtutis author, & insuperabilis impery rex, ac semper magnificus triumphator, qui aduersæ dominationis, qui inimici rugientis sæuitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: Te domine trementes ac supplices deprecamur ac petimus, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices, vt vbicumque fuerit aspersa per inuocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus obligetur terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti spiritus nobis misericordiam tuam poscentib. vbique adesse dignetur, per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Oratio benedictionis campanarum.

Deus qui per sanctum Moysen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri præcepisti, quas dum Leuitæ tẽpore sacrificij clangerent sonitus dulcedine populus monitus, ad te adorandum fieret præparatus, & ad celebrandum sacrificia conueniret, quarumque

rumque clangore etiam hortatus ad bellum tela prosterneret aduersantium: postea quæsumus, vt hoc vasculum sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum tuo sãcto spiritu, per nostræ humilitatis seruitium sanctificetur, vt per illius tactum & sonitum fideles inuitentur ad sanctam matrem Ecclesiam, & ad præmium supernum & cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis deuotio fidei & amor spiritualis, procul pellantur omnes insidiæ inimici, frãgor grãdinum, procella turbinum, impetus tempestatum, tẽperentur infesta tonitrua, ventorum flamina fiant salubriter, & moderate suspensa prosternat aereas tempestates dextera tuæ virtutis: vt hoc audiẽtes tintinabulum tremescant & fugiant ante crucis in ea depictum vexillum, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorũ: quod Deus noster Iesus Christus præstare dignetur qui absorta morte, per patibulum crucis regnat in gloria Dei patris cum eodem patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum Amen.

Quid est in his benedictionibus & orationibus superstitionis, incantatio-

nis magicæ artis aut mali? quod leuiter & ignorāter ſolent aduerſarij obijcere & improperare Catholicis. Si nihil eſt mali, quid eſt, cur inanibus aduerſariorum rationibus, minis & terroribus tot tantiq́ue homines ad hæc deteſtanda ſe tam facile deduci patiuntur?

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur cōiurationem ſpirituum, benedictiones, vnctiones, exorciſmos, benedictiones bonarum creaturarum Dei & ſuperſtitiones omnes eis annexas.

DOCTOR CATHOLICVS.

ALiud non videtur mouere aduerſarios, vt iſta deteſtentur, quam ſpiritus ipſe malignus, cum ipſa quotidiana experientia doceat homines, à malignis ſpiritibus poſſideri & talibus exorciſmis & coniurationibus eos eijci & procul arceri, & qui hoc negat, dign⁹ non eſt, qui inter homines viuat: ad huius rei cōprobationem poſſem hic cōmemorare certam & memoria dignam hiſtoriam quę ante paucos annos Lugduni ~~Batauorum~~ in Gallia ~~Belgica~~ cōtigit.

tigit. Puella erat à Beelzebub Dæmonum principe obſeſſa, ad quem eijciẽdum cum Caluiniſtæ ad ſuæ doctrinæ comprobationem ex vna parte accurriſſent, ex alia parte Catholici, nam ea lege inter ſe pacti ſunt, vt quorum authoritate dæmon eijceretur penes illos eſſet vera religio: Primi ergo Caluiniſtæ inuocant, clamant, cœlum deumque pulſant, & numquam exaudiũtur: Catholicus vero loci Epiſcopus indicto ieiunio & ſolemni proceſſione & ſupplicatione, ſacratiſſimũ Sacramentum Euchariſtiæ geſtans, cuius præſentia & virtute ſtatim vt labra puellæ poſſeſſæ tetigit, ipſaq; eã sũpſit, illico & ſine mora Dæmonẽ exturbauit. & puellã omni moleſtia liberauit. hæc autem hiſtoria ſpectatores & teſtes habuit pluſquam quadraginta millia hominum, partim Catholicorum, partim Caluiniſtarũ, & typis excuſa iam à tota Gallia legitur, vſus, fructus, & finis vnctionum quas deteſtantur, manifeſtus eſt Iac. 5. vbi docet morbum depelli & infirmum refrigerari, & per vnctionẽ & inuocationẽ

virtutis Christi peccata remitti. cui D. Auguſt. varijs in locis præſertim de Sacramentis Baptiſmi & Confirmationis loqũens multam tribuit efficaciam & virtutem: de qua lib. de Vita Chriſtiana c. 1. ſic loquitur, *ex Sacramento enim vnctionis huius & Chriſti & Chriſtianorũ omnium, id eſt, in Chriſto credentium, vocabulũ deſcendit & nomẽ & in* Pręf. 26. Pſal. enar. 2. *Ad omnes Chriſtianos pertinet vnctio, prioribus autem veteris teſtamenti temporibus ad duas ſolas pertinebat perſonas,* vbi Sacerdotes ſeu Prophetas, & reges intelligit: & ſerm. 206. de tẽpore, *omnes qui ad ſalutarem Baptiſmum conſequendum Eccleſiæ offeruntur, & Cryſma & oleum benedictionis accipiunt, vt iam non vaſa vacua ſed Deo plena, & templum Dei eſſe mereantur,* vbi manifeſtum eſt eum de vnctione corporali loqui, vt aduerſarij, qui omnia ad vnctionem ſpiritualem referunt, quod reſpondeant non habeãt, Mirandum eſt aduerſarios in Catholicis deteſtari benedictiones bonarum creaturarum Dei quas ipſi exercẽt: benedicunt enim cibo cum ad menſam acce-

accedunt, eodem quasi modo quo Catholici qui sua virtute & nomine non benedicunt, sed Christum dominum inuocãt, vt dignetur benedicere. vsitatissimus hic mos fuit in Ecclesia Catholica accipere benedictiones ab Episcopo & in nomine domini benedicere creaturis Dei ita habet D. August. lib. 22. cap. 8. de ciuit. Dei: ait enim. *Surreximus & accepta ab Episcopo benedictione discessimus.* Mirandum certe est odium aduersariorum in Catholicos, cùm ea in eis detestentur quæ apud ipsosmet in quotidiano sunt vsu. Ad superstitiones quas Catholicis improperant nihil est quod respondeam. cum apud nos nullas reperiam: quod si vsum ipsum exorcismorum & coniurationum spirituum, vnctionum & benedictionum vocant superstitiones, iam per ea quæ supra allata sunt abũde eis responsum & satisfactum est.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur tria eius solemnia vota: & diuersi generis tonsuras.

Do-

DOCTOR CATHOLICVS.

VOta fuiſſe ſemper licita, ignorare niſi qui media luce cæcutiat nemo poteſt. Leuit. 27. *Homo qui votum fecerit & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione ſua dabit precium:* idem Num. 6. Deut. 23. Iud. 13. 1. Reg. 1. Pſa. 75. *Vouete Deo & reddite.* idem Pſal. 21. 55. 60. & ſimilibus veteris teſtamenti locis quàm plurimis. Luc 9. *Nemo mittens manum ſuã ad aratrum, & aſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.* Non hæc (dicunt) vota, ſed tria ſolemnia vota deteſtantur. Nos tria vota vocamus ſolemnia, Caſtitatem, Obedientiam & Paupertatem: à quibus cur abhorreant aduerſarij vnam cauſam agnoſco: quod homines ad abdomen comparati, diuitiarum nimio ſtudio, & Veneris, libertatiſque illecebris capti, tam acerbos horum vitiorum hoſtes ferre non poterant. At Eccleſia Catholica ſponſa Chriſti, hæc tria vota ſemper agnouit, Docuit Euangelium, ſuſceperunt omnium

nium ſeculorum patres.

De virginib. D. Paul. 1. Corinth. 7. *De virginibus præceptum domini non habeo, conſilium autem do.* Mat. 19. *Et ſunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Apocalyp. 14. *Hi ſunt qui cum mulieribus coinquinati non ſunt: virgines enim ſunt.* D. Martial. epiſt. ad Tolo. cap. 8. Valeriam virginem pro Chriſto paſſam ſcribit. & conſequenter, cap. 9. Tres ſtatuit coniugij gradus, Matrimonialem, vidualem & virginalem. Abdias lib. 7. certami. *Ephigenia baptizata eſt, & virgo permanſit.* & poſt pauca: *Cum Hirtacus vellet accipere Ephigeniam filiam defuncti regis vxorem iam Chriſto dicatam: & quæ ſacrum velamen acceperat de manu Mathæi Apoſtoli, præpoſita iam virginum amplius quàm ducentarum.* fuerunt ergo tempore Apoſtolorum virgines, & velatæ & in cœtum congregatæ. Iuſtin. marty. oratio. ad Antonin. *Permulti profecto vtriuſque ſexus & ſexaginta & ſeptuaginta nati annos apud nos, qui à pueris diſciplinam Chriſti ſunt affectati incorrupti & cœlibes perdurant: &*

glorior

glorior me per omne genus hominum noſtrorum tales monſtrare poſſe. D. Athanaſ. in Orat. pro Chriſt. *Reperire eſt apud nos permultos & viros & mulieres, qui in cœlibatu conſeneſcunt: ſpe illa adducti, quod in tali genere vitæ conuerſari prolixius cum Deo poſſint:* Erant certe hi ante mille annos, Miniſtris noſtris fortiores qui virginitatem & vouerũt & cõſeruauerũt. Certe credo factos aduerſarios propterea virginitati infeſtiores; quòd Chriſti gregem fructu & præmio virginati in ſcripturis promiſſo priuari ſtudeant. Pſal. 44. *Adducentur regi virgines poſt eã: proximæ eius afferentur tibi.* Sap. 3. *Et ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem: nec cogitauit aduerſum Deũ nequiſſima. dabitur enim illi fidei donum electũ & ſors in templo Dei acceptiſſima: bonorũ enim laborum glorioſus eſt fructus.* Eſa. 56. *Nomen ſempiternum dabo eis, quod nõ peribit.* Plura virginitatis præmia ſunt apud Tertull. lib. de Veland. virginib. lib. de Cultu fœminarum. lib. de Exhortatione ad Caſtitat.

Obedientiam ſi contempſerint Miniſtri:

niſtri : inſurgent certè in contrarium regna,Reſpublicæ,& ciuitates,quarum ſalus iudicio Platonis & Ariſtotelis, obediẽtia eſt.Imo in ſcriptura datur prẽmium obedientiæ.1.Reg.15. *Melior eſt obedientia quam victimæ.* Prou. 21. *Vir obediens loquetur victorias.* Math.16. Mar. 8. Luc. 9. *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum,tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis:ipſi enim perui gilant,quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Si igitur obedientia hierarchico regimini eſt vtilis.habeatque præceptum & præmiũ in Scripturis, cur videtur eius votum deteſtandum Miniſtris?non aliam certe ob cauſam quàm vt Chriſtiani mercede ſua priuentur: aut obedientia in Hierarchia Eccleſiaſtica ſublata,mẽbra in caput conſurgant.

De Paupertate nihil poteſt eſſe aduerſarijs gratum,præter eiuſdem fugã. Scriptura viam ad cœlos compẽdioſam dicit eſſe paupertatem ſponte & voluntate ſuſceptam.Prouerb. 12. *Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorioſus.*

rioſus. Eccleſ. 31. *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium: væ illis qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.* Luc. 18. *Quam difficile qui pecunias habẽt in regnum Dei intrabunt?* Nonne etiam Euangelium præmia pollicetur pauperibus voluntarijs? Mat. 19. *Petrus dixit ei: ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus autem dixit illis: Amen dico vobis: quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede mageſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael: & omnis qui reliquerit,* &c. *centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* Luc. 18. *Nemo eſt qui reliquit domum aut parentes, &c. Propter regnũ Dei, & non recipit multo plura in hoc tempore: & in ſeculo futuro vitam æternã.* Hac ſpe freti Apoſtolorum temporibus Chriſtiani paupertatem, vt facilem æternæ ſalutis viam, profeſſi ſunt: Actor. 2. *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia: poſſeßiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Actor. 4.

Multi-

Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed illis erant omnia communia. Quid iam quæſo in tribus hiſce votis Papa vel inuenit, vel innouauit? Vouere licet? conſentiente Papa vouent Catholici Caſtitatem, Obedientiam, Paupertatem: probant ſcripturæ, amplexi ſunt veteres; vouere hæc patitur Papa. Credentium & vouentium erat multitudo temporibus Apoſtolorum (vouentium dico:) Nam Acto. 24. D. Paulus vota fecit & oblationes: Priſcilla & Aquila vota habuerunt. Acto. 18. quatuor viri: Acto. 21. Hæc omnia patitur, facit, & probat Papa: numquid deteſtandum? Nouatoribus certè noſtris reſpondet D. Auguſt. in Pſal. 132. Donatiſtas increpans, qui Monachos ſui temporis deteſtabantur. *Merito*, inquit, *inſultant nomini vnitatis, qui ſe ab vnitate præſciderunt: Merito illis diſplicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus: ſed ſequentes Donatum Chriſtum diuiſerunt.* Pariter Miniſtri ſequentes Caluinum

num Christum diuiserunt.

Sed detestamur, inquiunt, tonsuras. Priscilla vt Aquila totonderat caput in Cenchris: quia votum habebat. Actor. 18. Isidor. lib. 2. de Offic. cap. 4. Ab Apostolis dicit institutam tonsuram, & Coronam clericorum. Dionys. Areopag. Eccles. Hierarch. cap. 6. dicit futurum monachum primum tonderi: deinde indui alia veste, priore abiecta. & iterum: *Tonsura*, inquit, *crinium vitam mundissimam indicare contestant: & nulla figura fucatam*: Anicetus in epist. ad Gallos iubet radi caput in modum sphæræ: hi ante D. Augustinum vixerunt: cuius tempore tonsuram monasticam fuisse inuentam Ministrorum Apostolus Caluinus est mentitus. lib. 4. Instit. cap. 19. §. 27. Abdias lib. 9. Certaminis: *Rex*, inquit, *ab Apostolo Thoma baptizatus rogauit sibi caput tondi: & Diaconus ordinatus est: & adhærebat incessanter doctrinæ Apostolicæ*. Si quod Apostolorum temporibus, proximisque inde seculis in Ecclesia fieri solitum facit Papa, nunquid detestandum?

dum? Imo diuus Hierony. epiſt. ad Sabinianum Diaconum, Manaſteriorum & monacharum dicit morem, vt tonſis capillis ab Abatiſſa viuant velatæ. idem docet Epiphan. hæreſ. 80. vt D. Auguſt lib. de Operibus Monach. cap. vltimo.

MINISTER SCOTVS.

Deteſtamur erroneum eius, & sãguinolentum Decretum Tridentinum: omnes ſubſcriptores & approbatores: cum crudeli ac ſanguinolenta illa ſocietate contra Eccleſiam Dei coniuratos.

DOCTOR CATHOLICVS.

SEmper à Chriſto paſſo mos fuit in Eccleſia Dei cogere Concilia generalia quę Eccleſiam vniuerſalem repreſentarent ad reprimendas hæreſes ſubortas, ac Schiſmata, & ad male viuentium corruptos mores. quibus in Concilijs conueniebant Principes Eccleſiarũ: id eſt Epiſcopi: qui claues tenebant ſcientiæ & poteſtatis: quibus aderant aliquando Principes ſeculares: per ſe,

aut per ſuos legatos, vt auctoritate ſua Concilia probarent & cohoneſtarent. Ita celebratum eſt primum Concilium Hieroſolymis, ad ſupprimendum onera legis Moſaïcæ: Ita Concilium Nicenum 318. Epiſcoporum. Ita Epheſinum ducentorum Epiſcoporum : ita Conſtantinopolitanum 150. Epiſcoporum ita Chalcedonenſe, 160. Epiſcoporum. ita omnia Concilia hactenus diuerſis temporibus contra hæreſes,& Hæreticos habita.ita Congregata eſt Synodus Tridentina, 225 patrum. Nec vmquam habitum fuit Concilium, in quo vel doctius, vel modeſtius, vel prudentius actum ſit contra hæreſes, & corruptos Eccleſiaſticorum mores. Nec vmquam facta ſunt decreta doctiora contra hæreſes : nec ad ſtabiliendam doctrinam Eccleſiæ certam & inconcuſſam prudentiora aut ad reformandos omnium ordinum Eccleſiaſticorum mores efficaciora.

De ſanguine autem & bello quod latrant Miniſtri: calumnia eſt: Nuſquã in hoc Cõcilio de bello eſt tractatum: etſi

etsi iure id facere potuisset contra impetus & sanguinolentas factiones Caluini & aliorum hęreticorum. Imo cum ipsis hæreticis actum est pacifice: Adeo & potestas adeundi Concilium, quam Saluum-cõductum dicimus, omnibus Germaniæ hæreticis sub amplissima forma concessa est: cuius summa expressa est ante 14. & 16. sessionem eiusdem Concilij sub Iulio III. & sessio. 19. sub Pio IV. Appositа etiam hac clausula in gratiam aliarum nationũ. *Eadem Sacrosancta Synodus*, &c. *Omnibus & singulis alijs, qui nobiscum in ijs quæ sunt fidei communionem non habent, & quibuscumq; regnis, nationibus, prouincijs, ciuitatibus ac locis, in quibus publicè & impune prædicatur, vel docetur, siue creditur contrarium eius quod Sancta Romana sentit Ecclesia: dat fidem publicam, siue saluum conductum, sub eadem forma, & eisdem verbis quibus datur Germanis.*

Decreta omnia Concilij vocant erronea. Subijciam tamen aliquot eiusdem Concilij Canones, qui vel ipsis testibus reos facient calumniæ. de Iustifi-

catione, can. 1. *Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia, poſſe iuſtificari coram Deo, anathema ſit.*

Can. 2. *Si quis dixerit ad hoc ſolum diuinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari: vt facilius homo iuſte viuere, ac vitam æternam promereri poſſit quaſi per liberum arbitrium ſine gratia vtrumque ſed ægrè tamen & difficulter poſſit, anathema ſit.*

Can. 3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, aut eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere ac pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Reſpondeat Miniſter an hæc doctrina ſit erronea vel ſanguinolenta? aut ipſe erroneum aliquod & ſanguinolentum Concilij decretum proferat. Compoſitum fuit Concilium ex 225. Patribus Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, qui ius ſuffragij in Concilio habebant. Aderant præterea Doctores aliquot vtriuſque

usque iuris peritissimi : Theologiæ plures quàm octuaginta: qui doctrinam & propositiones patrum acuratè ponderabant,ac discutiebant. Intererant Legati Principũ Christianorum, Imperatoris, Regis Galliæ tres, cum Cardinale Lotharingiæ, & duodecim Doctoribus Theologiæ Vniuersitatis Parisiensis. Legati Regis Hispaniarum totidem. cum sexdecim Doctoribus selectissimis Vniuersitatum Salmanticæ, Complutensis, & Louanienſis. Legati Sebastiani Regis Lusitaniæ. cum suis Doctoribus. Sigismundi Poloniæ Regis, Ducum Bauariæ, Florentiæ, Sabaudiæ, magni magistri equitum ordinis Melitensis, Rerum publicarum, Heluetiorum, Venetorum, Horum omnium vnanimi cõsensu,& manuum subscriptione approbata sũt decreta Concilij Tridentini: quæ tamen audent Scotiæ nostræ Ministri vocare erronea,& sanguinolenta: Omnes approbatores & subscriptores, factionem sanguinolentam & crudelem conspiratam contra Ecclesiam Dei. Con-

feramus Doctrinam Miniſtrorũ, quorum pars maxima Apoſtatarum Monachorum, Piſtorum, Pellionum aut Sartorum, cum doctrina horum patrũ totius Chriſtiani orbis ſelectiſſimorũ, ſapientiam cum ſapientia, pietatem cũ pietate facile certe diſcernemus cui fides habenda: Concilio Tridentino, an Deteſtationibus Miniſtrorum: horũue Pellionum &c. an illorum patrum potior ſit habenda ratio. Hoc tamen in Scotia obtinuerunt Miniſtri, vt hanc ſuam deteſtationem Decretorum Cõcilij Tridentini Rex ipſe, multi nobiles, & maior regni pars Iureiurando & ſignatura probauerint. Omnes Concilij approbatores, id eſt, Imperatores, Reges Galliæ, Hiſpaniarum, Poloniæ, Lucitaniæ, Dũces & Reſpublicas, eorumdem legatos, Doctores Theologos, Doctores vtriuſque iuris, & vniuerſitates florentiſſimas, tanquam credules & sãguinolentos conſpiratores contra Eccleſiam Dei, eiſdem iureiurando, & ſignatura condemnauerint: prudenterne, an ſecus, iam ipſi viderint. Nobiliũ

ſatis

satis scio neminem id re bene perpensa facturum: Horum certè vicem & doleo & lugeo, qui ne bonorum temporaliũ exiguum detrimentum patiantur, animam ipsam, nisi resipiscant, tam facile adducunt in discrimen.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur omnes eius vanas allegorias, ritus, signa, traditiones in Ecclesiam introductas, aut sine verbo, aut contra verbum Dei.

DOCTOR CATHOLICVS.

IN his propositionibus videntur aduersarij sui compotes non esse & suas sine vlla ratione insanias Regi ac Reginę Scotię velle persuadere: dicũt enim, non admittendas esse allegorias in expositione scripturarum, aut vllos ritus, signa, ceremonias, aut traditiones: sed admittendum solum sensum literalem, seu historicum scripturarum: cùm tamen sine sensu mystico impossibile sit scripturas intelligere. imo plerunque verus sensus scripturarum non est ille quem verba significant, sed spiritualis

& mysticus, quem res habent. sicuti cùm dicitur in scripturis, Christum esse vitem, Leonem, ouem, petram, agnum, lapidem angularem: quæ omnia si ex propria & natiua verborum significatione intelligantur, falsa sunt: Mysticè igitur & metaphorice interpretanda sunt. sed aduersarij literam occidētem sequi volunt: non spiritum viuificantem: vt loquitur Paulus. Catholici docent sēsus scripturarum alios esse literales, seu historicos: alios spirituales seu mysticos, & hos quidem triplices: allegoricos, id est, figuratiuos: tropologicos, id est, morales: & anagogicos, id est, de rebus cœlestibus: hæc est doctrina Catholica.

Negare verò ritus, ceremonias & traditiones, id est ipsam quoque scripturam abnegare: & doctrinam omniū patrum antiquorum repudiare. nā tametsi in lege Euangelica cessarunt ceremonialia veteris legis, non tamen in ea omnes ceremoniæ prohibentur: imo ipse Christus docuit ceremonias: sicut quādo dedit Apostolis in eorum ordinatio-

natione Spiritum ſanctum, inſufflauit: inſufflare nonne eſt ritu & ceremonia vti? & propterea ad imitationem Chriſti hanc ceremoniã adhibent Epiſcopi, cum Sacerdotiũ cõferunt. Nec poſſunt ipſi aduerſarij à quibuſdam ritibus & ceremonijs abſtinere: Nam cùm Miniſter veſter Paulus Meffen ancillam compreſſiſſet, ſacco indutus, cinereque ſe, quem in patina manu tenebat, aſpergens, ſubſequente ab hoſpitio ad templum populo pœnitentiã egit. Nõne ceremonia erat? nobis certe noua, an ſpiritus veſter iã factus ſapientior hunc pœnitentiæ ritum mutauerit, vos ſcitis.

De veſte alba, ſigno crucis, ſale, ſaliua, inſufflationibus, exorciſmis, quibus vtuntur Catholici in adminiſtratione Baptiſmi, expreſſa eſt mentio apud antiquos patres primorum quingentorum annorum. Nam diuus Auguſt. in tract. de Symbolo ad catechumenos lib. 2. c. 2. ait. *Dum per ſacratiſſimum crucis ſignum vos ſuſcipit in vtero ſancta mater Eccleſia: quæ ſicut & fratres veſtros cum ſumma lætitia ſpirituali pariet.*

pariet, noua proles futura tantæ matris: quouſque per lauacrum ſanctum regeneratos veræ luci reſtituat: congruis alimentis eos quos portat, paſcat in vtero, & ad diem portus ſui lætos læta perducat. quoniam non tenetur huic ſententiæ veræ quæ in triſtitia & gemitu parit filios: nec ipſos gaudentes, ſed potius flentes. hæc ſoluit quod illa ligauerat: vt prolem quam per inobedientiam ſui morte damnauit, hæc per obedientiã reſtituat: omnia Sacramenta quæ acta ſunt & aguntur in nobis per Miniſterium ſeruorum Dei, exorciſmis, orationibus, cantibus ſpiritualibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipſe omni ſecuritate appetendus. hæc omnia vt dixi ecce ſunt quæ vobis reficimus in vtero, vt renatos ex baptiſmo hilares vos exhibeat mater Chriſto. vides per Auguſt. non tantum adhiberi ritus & ceremonias, ſed etiam in baptiſmo deleri originis peccatum.

Traditiones verò deteſtari & negare, eſt negare & deteſtari Euangelium: nam ſanctus Marcus & Lucas habuerunt & ſcripſerunt Euãgelia per ea quæ ex traditione didicerunt: nõdum enim vide-

viderunt Christum dominum. quod plane testatur D. Lucas in principio sui Euangelij dicens. *quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi & viderunt, & Ministri fuerunt sermonis*, ex his D. Lucæ verbis duo sunt proponenda: primum multos scripsisse Euangelia: secundum, se habere ea quæ scribit ex traditione aliorum. Cum igitur Euangelia scripta per Nicodemum, qui Christum vidit, & per D. Bartholomeum Apostolum, admissa non sint: & Euangelia Lucæ & Marci sunt recepta, ex traditione scripta: facile est iudicare, quantæ authoritatis debeant esse traditiones in Ecclesia, & quanta sit eius authoritas in Euãgelijs admittendis aut reijciẽdis. Christus certè non præcepit scribere, sed prædicare Euangelium omni creaturæ. Idem docet D. Aug. de Baptismo contra Donatistas lib. 5. cap. 26. *quod nos admonet Cypria. vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus optimum*

mum est, & sine dubitatione faciendum. & serm. 161. de Tempore. *Ecclesiæ regula sanctorumque patrum traditio atque iudicia in perpetuum firma solidaque permaneant*, & lib. 1. cap. 1. de consensu Euāg. docet Marcum & Lucam ex traditione scripsisse Euangelia. Tandem epistola. 86. ad Casulanum præsbyterum: *in his rebus de quibus nihil certi statuit scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Pudeat igitur aduersarios in tam clara luce cęcutire: pudeat, pigeatque viros Christianos prudentes ac Nobiles eis tam facile credere, aut consentire.

MINISTER SCOTVS.

Detestamur traditiones introductas contra, *Doctrinam reformatæ huius Ecclesiæ.*

DOCTOR CATHOLICVS.

SI reformare est aliam à pristina formam introducere: non negamus certe, vestram Ecclesiam reformatam: nam apud vos ita omnia sunt noua vt vetera, quia talia respuatis: Sed si reformare

mare eſt meliorem inducere formam: iam hæremus. Commutatio ſiquidem omnis Miniſtrorum, tribus potiſſimum partibus coaleſcit, Doctrinæ ſcilicet, reformatione morum & ædificiorum: Doctrinæ ſtat antitheſis: Virginitatem ſacram colunt Catholici: vos eam libidinis hoſtem deteſtamini. Vitam continentem matrimonij tempore probat Eccleſia: poſt diſſolutum morte alterius matrimonium, etiam viduitatem habet in honore: Vos vtramque fugiendam docetis, & ipſi aſpernamini: Eccleſia ſtatas ferias, vt feſtos dies piè & religiosè obſeruat: eaſdem vos viliſſimo quoq; opificio prophanatis. Docent Catholici perpetuam in Eccleſia Dei Pontificum ſucceſſionem: Vos Pōtificiam dignitatē maligno Antichriſti nomine deteſtamini. Docet Eccleſia Catholica pro miniſterio obeundo neceſſarium eſſe Sacerdotium, & ex virginibus, aut ſaltem continentibus ſumendū: Veſtro miniſterio is tātum putatur aptus, qui accepta vxore, & plerunque altera in Veneris caſtris militauit.

tauit. Docet Ecclesia, esse distinctos Ecclesiasticæ hierarchię ordines: Apud vos nulla ordinum distinctio: imo ne clericus quidem à plebe discernitur: & ne singulos fidei vestræ articulos hucusque discussos repetendo, lectorem remorer: quę pie & sanctè credidit semper & affirmauit Ecclesia, ea vos õnia pura negatione, & maligna detestatione sustulistis: Adeo si vera Philosophorum sententia est, negationes, vti priuationes, habitus pellere: non tam dicemus Ministros Ecclesiasticæ doctrinæ reformatores: quàm impios ablatores, & atheos, diuinitatis negatores.

Sed fortasse de moribus expectas (lector) meliora. Mos in Ecclesia sancta est studiosè quadragesimam, vt salutarem corporis castigationẽ colere: Ministri tanquam totidem ventris mancipia, omnem corporis seruitutem repudiant. Mos Ecclesiæ feria 4. & sexta ieiunare: Dominica nefas ducitur: Ministri contra: ieiunia sua die dominica indicũt. feria sexta & sabbatho epulari, & carnibus vesci ducunt solemne. Ecclesia

cleſia Euchariſtiæ myſterium, non niſi Sacramentali præhabita confeſſione ſolet miniſtrare: Miniſtri contra impuris manibus ſacra prophanantes, vino etiam madentibus panem quem Sacramenti loco ſubſtituerunt, intrepidè porrigunt. Eccleſia matutinos & veſpertinos hymnos cum orationibus ad Deum fuſis decantat: In Miniſtrorum coetu, orationibus & hymnis per ſtata tempora diſtributis nullus eſt locus. In Eccleſia priſci patres humi iacere, ſe ſacco induere, vigilijs & ieiunijs corpora macerare ſolebant: & adhuc macerant multi: Miniſtri quibus carnem accendant, nouas quotidie artes excogitant: Inter Catholicos, frequens eſt hoſpitalitas & eleemoſyna: apud eos nihil talibus operibus impenditur. Imo ſi priuatos Eccleſiaſticorum mores aduertamus, vitia Eccleſiaſticorum non modo cernemus à Miniſtris non eſſe ſublata: ſed & propria quædam ſua addidiſſe: Magiam & veneficium abominati ſemper ſunt ſacerdotes: Inter Miniſtros ars nulla magis familiaris.

Sacerdotes fœnus ac turpe lucrum sẽper fugerunt: In Miniſtrorum congregationibus pauci, qui non fœnerandi artibus incumbant Inter Sacerdotes plerique ſua vendunt & dant pauperibus: In Miniſtrorum cõgregationibus, quo ſe quiſque ditet pauperes ſpoliat. Sacerdotes faſtu & ambitione ſemper caruerunt: Miniſtrorum adeo increuit ambitio, vt non modo præcipuis regni nobilibus, ſed & ipſi Regi, audeant interdum inſultare. Auaritiam vero & rapinam etiam auget vxorum & liberorum cura poſteritatis ſollicita: cum beneficia & quibus aluntur ſtipendia poſteris non poſſint tranſmittere. Nec multorum libidinem etiam vxor poteſt reſtinguere. Hæc ergo eſt apud Miniſtros reformatio morum.

Sed ædificiorum inſtauratio eſt ſtupenda. Apud Catholicos monumentorum publicorum, veluti templorum, Pontium, Cœnobiorum inſtructio, & reparatio, tamquam præclari quidam viuæ fidei fructus viguerũt. A Miniſtris deſtructa paſſim publica monumenta, & in

& in priuatorum vſus conuerſa. Multis in rebus nationibus vicinis, licet inferior, Scotia Monaſteriorum, Xenodochiorumque fundatione & dotibus, cũ quauis Chriſtiana gente potuit contendere: nec mirum; Sola enim omnium Chriſtiani iuris regnorum, mille quadringentis annis Chriſtianorum Regum ſucceſſione reluxit: totidem ſeculis caruit hæreſiarcha & hæreſi: Viſebantur prope Tuedam fluuium, itinere quatuor horarum, decem monaſteria Odingamium, Melloreſum, Kelſoamum, Gedburgum, & Dryburgum: virorum hæc: Norberuicum, Hadductonium, Ecquelſoamum, Caſtremum & Bothenium: Fœminarum, iterum octo horarum itinere prope Edinburgum. Monaſterium ſanctę Crucis, quod iunctæ Regiæ nomen dedit. Nouobothelium, Inſulæ ſancti Columbi. Dumfarinlingum, Colruſſum, & Canskinetum. A Dei-Dono itinere ſex horarum (quæ ciuitas Edinburgo abeſt itinere vnius Diei) Aberbrothum, Cuprũ, Scoonam, Balmeriuocum, Tendorcium, Iu-

chefrũ omnia monaſteria Regali munificentia extructa ditiſſima,& ab Anglia fere vnius diei itinere diſtantia. Hæc ſunt omnia Miniſtrorum reformatione funditus deleta. alia præterea multa, per omnes regni partes diſperſa: quorum iam Miniſtrorum diligentia vix apparent magalia. Nec tam videretur deplorãda (Principibus præſertim) deſtructio,niſi & Regi,Regnoque eadem ruina commoda multa ſuſtuliſſet.Nam periculoſis reipub. temporibus,religioſorum parcimoniâ,conducẽdis militibus etiam Regi ſumptus ſuppetebant. Sed & primus Miniſtrorum furor exarſit in eos, quorum vita eſt viſa innocentior,putâ Carthuſianos, Franciſcanos, Dominicanos & Religioſas ſanctæ Catharinæ Senenſis. horum Monaſteria funditus deleuerunt: Parochiales certe Eccleſiæ ita hanc reformationem cenſerunt, vt ipſi iam Miniſtri ſub Dio concionari cogantur. Iam perpende,lector, iurene an iniuria Miniſtri hanc vocent reformatam Eccleſiam.

Mi-

MINISTER SCOTVS.

Cui nos Eccleſiæ ſponte & voluntariè accedimus, doctrinæ, fidei, religioni, diſciplinæ, & vſu ſanctorum Sacramentorum, vt viua eiuſdem in Chriſto noſtro membra.

DOCTOR CATHOLICVS.

EX dudum explicata reformatione Miniſtrorum, & articulis ab initio diſcuſſis dignoſcat lector æquꝰ, an quis nobilis aut fidelis tam facile ſe debeat Miniſtris iungere, & doctrinam hanc mẽdacijs, cõtumelijs & impoſturis plenam amplecti & eidem ſubſcribere.

MINISTER SCOTVS.

Promittimus & iuramus, per magnum Dei noſtri nomen, perſeueraturos in obedientia, doctrina, & diſciplina huius Eccleſiæ: & eandem omnibus vitæ diebus, iuxta vires & vocationem noſtram defenſuros.

DOCTOR CATHOLICVS.

OMne iuramẽtũ eſſe debet de rebꝰ licitis & honeſtis: alioquin peccat iurans & promittens, & grauius adhuc

qui perſeuerat, & iurata defendit aut tuetur: Hoc iuramentum quod Miniſtri præſtare cogunt, eſſe de rebus illicitis ſatis ex antedictis patet. Peccant igitur primum iurantes: & adhuc magis iurata ſeruantes. vt D. Hieronymus de Iephte ſacrificante filiam: *Male fecit vouendo & promittendo: ſed multo peius, qui vt votum perſolueret filiam vnicã immolare non dubitauit.*

MINISTER SCOTVS.

Et cum conſtet: multos à Sathana & Romano illo Antichriſto ſuſcitatos, promittere, iurare, ſubſcribere, & ad tempus fraudulenter vti Sacramentis in Eccleſia, contra proprias ſuas conſcientias: exiſtimantes primum ſub externo hoc religionis velo in Eccleſia, inde tempore opportuno apertos Eccleſiæ hoſtes, & perſecutores fore: ſub vana ſpe diſpenſationis Papæ, excogitatæ contra Dei verbum, & maiorem ſuam confuſionem, & duplicem ipſorum in die tremendi iudicij cõdemnationem, &c.

DOCTOR CATHOLICVS.

ARticulus hic duo cotinet: alterum fortaſſe verum: Catholicos ſcilicet,

tet, contra ſuas conſcientias promittere, iurare, &c. cogitantes, poſtea data tẽporis occaſione erupturos in hoſtes & perſecutores ſectæ Caluinianæ. Alterũ penitus falſum, Catholicos petere, aut Papam concedere diſpenſationem, aut veniam decipiendi hæreticos, aut promittendi, iurandi, aut exterius profitẽdi religionem falſam contra conſcientias. Quod expreſsè repugnat diuo Paulo qui docet non faciendum malũ, vt inde veniant bona. imo nemo debet committere peccatum, ne veniale quidem, vt ſaluet hominum vitas. nec poteſt Catholicus vllus exterius amplecti religionem falſam, etiãſi interno quodam cultu, veram & orthodoxam fidẽ profiteatur. fuit enim hæc hæreſis Helcheſitarum: qui affirmabant, licere in tormentis poſito Chriſtum negare ſine peccato, modo corde credatur: & ea in Eccleſia condemnata in Concilio Romano ſub Fabiano ſummo Pontifice.

Sed cur quæſo Miniſtri tam vehementer contendunt vt Catholici quos certo ſciunt fictè tantum iuraturos aut

promiſſuros,& poſt ſubſcriptiones,non minus infeſtos imo infeſtiores futuros: nihilominus ſubſcribant huic profeſſioni; & in eandem iurent? cum ſatius certè videretur apertos hoſtes habuiſſe, quã ocultos inimicos metuere. Ego certe duas cauſas inuenio. Altera eſt,vt recuſantes Catholici cum vxoribus & liberis pereant. Altera,vt conſentientes & iurantes grauius & animo & corpore torqueantur. Miniſtrorum enim fulmina proſcriptionis, ſecluſionis à iudicijs etiam in cauſis iuſtiſſimis,conſtantia etiam terrẽt pectora.in quæ ne labantur mala,coniugum,liberorum,amicorum extrema quæq; metuentiũ adhortatio, molliũ tepidorumq; Catholicorum, vt in malis habeãt conſortes,perſuaſio iubet ſubſcribere: Contra, veritas religionis Catholicæ in fide cõſtanter retinet. quis enim tam à cõmuni sẽſu vel ratione alienus eſt,vt omnẽ Eccleſię vniuerſalis doctrinã deteſtetur,Cõcilia generalia,doctores omnes antiquos condẽnet: Sacramẽta re ipſa penitus abijciat, licet verbo tenus duo tantum retineat:

Ange-

Angelorum & ſanctorũ interceſſiones iudicet inutiles: Deum faciat auctorem Peccati, Decreta omnia Concilij Tridentini, quibus sũma Chriſtianæ fidei cõtinetur, erronea eſſe iuret, & ſanguinolenta? Principes & Legatos Concilio aſſiſtentes affirmet ſanguinolẽtos fuiſſe conſpiratores cõtra Chriſtũ & eius Eccleſiam? quis inquam hæc iurans non contremiſcat, & exinde dolore contabeſcat? quæ tamen ab inuito, & corde remanſuro Catholico Miniſter extorquet. vt animo & corpore grauius puniatur. Non ſecus ac is, qui poſt cõpoſitam cũ hoſte pacẽ, cùm tẽpore oportuno & loco reperiſſet, mortem minatus eſt niſi Chriſtum, Baptiſmum, fidẽ abneget, & ſeſe totũ Cacodæmoni tradat. id miſer cum cõſeruandæ vitæ ſtudio præſtitiſſet: ſubitô hoſtis: Nunc in corp⁹ ſimul & animã vlciſcar. trãsfixũq; gladio interemit: Hi ſunt eximij Miniſtrorum fructus, hæc eorum charitas in Catholicos, Hæc archimandritarum ſanctimonia: hic animas Chriſto lucrandi zelus. Nihil ex his Catholico-

rum preſſuris Miniſtris accedit, Nihil obſequio Regis vtilitatis, ſola ſtridet inuidia: ſola in nobilium ruinam dominatur crudelitas.

MINISTER SCOTVS.

Promittimus &c. nos defenſuros perſonã regis, auctoritatem, dignitatem, &c.

DOCTOR CATHOLICVS.

QVam ſollicite perſonã Regis tueamini ſatis indicat ſeditioſa illa coniuratio, quam Edinburgi, 17. ~~Septembris~~ Decembris, anno 1597. concitaſtis, & conuocata plebis & opificum multitudine Regem, in domo ciuica cum Conſiliarijs de rebus publicis cogitantem obſediſtis: appoſitis etiam minis, niſi ſuſpectos quoſdã vobis de religione Catholica per feneſtras egerit præcipites, & poſtulata veſtra confirmet. Et niſi Rex, qua eſt prudentia, ſuſpenſam multitudinem continuiſſet: donec rumore cõuocati nobiles, liberato Rege furorẽ veſtrum temperarunt. & Regem ipſum & regni ſtatum in diſcrimen vocaſſetis. cuius delicti pœnam ex ipſa congregatione

tione veſtra alij carcere, alij exilio penderunt. Hæc Miniſtrorum erga Regis perſonam obſeruantia: hoc fidele obſequium, & dignitatis regiæ ſollicita cura. An vero ijdem conſcij fuerint inſanę eius cõſpirationis Comites de Gaury: in qua occiſis conſpirantibus fratribus, Diuina omnipotentis Dei manus Regem mirifice incolumen ad regni commoda, & nominis ſui gloriam reſeruauit, ex ſubſecuta proſcriptione & fuga licet conijcere.

MINISTER SCOTVS.

Promittimus defenſuros, &c. In tutelam Euãgelij Chriſti, libertatis patriæ, adminiſtrationis iuſtitiæ, & punitionem iniquitatis.

DOCTOR CATHOLICVS.

DE Euangelio primum, quod defẽſuros iurant Miniſtri, quid cenſendum, ex ijs quæ curſim per hos articulos perſtrinximus relinquo iudicãdum. Libertatem patriæ quomodo tueantur non intelligo: cum ſit communis populi opinio, Miniſtros mutuis cum Regina Angliæ conſilijs concurrere. vt totam

totam Patriam in perpetuam ſeruitutẽ redigant. Adminiſtrationẽ Iuſticiæ ita tuẽtur: vt ipſorum opera factum ſit quo minus Catholici, aut Catholicorum ſuſpecti fautores in iudicijs audiantur: aut auditi in cauſis æquiſſimis cadunt: Euãgelij ipſorũ defenſores ſemper vincant. Punitionis iniquitatis apud Miniſtros ea ratio eſt: vt Miniſtri aut Miniſtrorum defenſores propter grauiſſima delicta, vel leuiter, vel nullo modo puniantur: Qui Miniſtris diſplicent, pro leuiſſimis delictis grauiſſimas pœnas luãt. Miniſtrorũ in vindicãdis iniurijs natura implacabilis notior in Scotia eſt, quã vt vlla hic probatione indigeat.

Hactenus, lector, profeſſionis huius Miniſtrorum articulos librauimus, oppoſitamque Catholicorum Doctrinam ſcripturæ & patrum Eccleſiæ auctoritate cõfirmauimus. Si forte hîc anxius hæreas cui in ambigua hac controuerſia credendum ſit Miniſtrône deteſtanti, an Catholico aſſerenti: in ſummam vtriuſque rationes redigã, ex quibus inter ſe collatis facile hãc litem dirimes.

Aſſerit

1. Asserit Minister pro sua secta stare scripturam, verbum scriptum & Spiritum sanctum: Idem sibi vendicat Catholicus. in hac ergo assertione sũt pares: ad hæc sola hac allegatione cõtentus Minister, miracula, signa diuina, & supernaturalia contemnit: Catholicus hæc affert: Ad hæc habet pro se Catholicus auctoritatem Ecclesiæ visibilis & vniuersalis, cuius in terris visibile caput fuit Christus, licet modo inuisibile post eũ vicarij nomine visibile caput Petrus cui eam commendauit: Petro cæteri summi Pontifices successerũt. Hac auctoritate caret Minister.

2

3

4 Affert pro se Catholicus Cõcilia omnia generalia quæ sunt ab Apostolorũ tẽporib⁹ vsq; ad nos habita: quę Ecclesiã vniuersalẽ repręsentãt: quorũ doctrinã sequũtur. His caret Minister: qui nulla inquit se decreta hominũ suscipere.

5 Affert Catholicus sanctorũ patrũ & Doctorũ, tã Ecclesiæ primitiuæ, quàm eorum quæ ad hæc vsque tempora doctissimè & sanctissime scripserunt testimoniũ. Horũ auctoritatem aspernatur Mini-

Miniſter: Hominum doctrinam nuncupans: credo quod ipſe ſe Deum iudicet.

6 Affert Catholicus hiſtoricos ſacros & prophanos, qui affirmant ſuis temporibus, eandem fuiſſe doctrinam Eccleſiæ primitiuæ, quam nunc tenent Catholici. Hæc pro nihilo facit Miniſter & aſpernatur.

7 Accedunt notæ vetæ Eccleſiæ Catholicæ, quæ doctrinæ Miniſtrorũ non poſſunt conuenire. Hæ ſunt: vt ſit Eccleſia vna ſancta, Catholica & Apoſtolica. Eſt enim in Eccleſia Catholica vnitas doctrinæ, externi cultus, vſus Sacramentorum, Charitatis, Fidei, & mutui conſenſus, ſine ſectis aut ſchiſmate: Hæc vnitas non eſt in congregatione Miniſtrorum: quæ diuiſa eſt in multas ſectas: Imo Caluini doctrina, quam ſequuntur Miniſtri Scoti, partita eſt in ſectas Zuinglianorum, & eorum qui etiam viuo Caluino reſtiterunt.

8 Catholica Eccleſia ſancta eſt, & ſine ruga vel macula: vt ait D. Paulus: quia in ea eſt puritas & ſyncericas doctrinæ, ſine

ſine hæreſi & errore.quod in Miniſtris non apparet.

3 Doctrina Catholicorum eſt vniuerſalis, per totum Chriſtianorum orbem diffuſa:Docetur enim & acceptatur in omnibus regnis.Quę vero docent Miniſtri Scoti,in ſolo Scotiæ regno, & eo etiam diſcorde,locum habent: vel ſaltem in paucis prouincijs quæ in Caluini doctrinam iurauerunt.

4 Doctrina Catholicorum eſt etiam Apoſtolica:quia Doctores & hiſtoriographi teſtantur ſuis ſcriptis, eandem per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem, ab ipſis Apoſtolis ad hæc vſq; tempora perſeueraſſe. Doctrina Miniſtrorum, à Ioanne Knoxio in Scotia, à Ioanne Caluino Geneuæ, noſtri ſeculi hominibus ſuborta eſt.Caret ergo Caluini ſecta,vnitate, puritate, vniuerſitate, & antiquitate doctrinæ, quibus triumphat Eccleſia Catholica.

5 Præter hæc omnia Catholicos in fidei conſtantia confirmat multitudo martyrum vtriuſque ſexus,qui pro cõfeſſione fidei Catholicæ ſanguinẽ profude-

fuderunt.& infinita miracula, quæ ad comprobandam eandem fidei veritatem, præcedentibus ſeculis perpetrata ſunt: & noſtris etiam temporibus perpetrantur.Ex quibus omnibus facile licet conijcere cui credendum Catholico,an Miniſtro.

His omnibus accedit horrendum & ſeuerum Dei iudicium in eos qui Catholicam Eccleſiam ſunt perſecuti. & mirus eiuſdem fauor erga eos qui eandem defendere & propagare conati ſunt: Teſtes eſſe poſſunt luculenti Herodes primus: qui dum Chriſtum conatur occidere, infantes omnes innocentes trucidari iuſſit: ac in proprios filios concepto odio,duos ipſe trucidauit, tertium teſtamento occidendum reliquit. ipſe tandem rabie proſilientibus ex ſuis locis oculis, ſe transfodit. Herodes Agrippa,qui D.Iacobum fratrem domini occidit, & D. Petrum in vincula coniecit,percuſſus ab Angelo, vermib⁹ cõſumptus interijt. Nero poſt occiſos Apoſtolos Petrum & Paulum, dum coniurantium manus non poſſet effu-

4. effugere, ipse se interemit. Valerianus à rege Persarum captus in prælio, effossis oculis, hosti ascensuro equum scabelli 5. loco seruiuit. Decius qui D. Laurẽtium martyrio affecit, vna cũ omnibus suis 6. liberis trucidat⁹ est. Maximinus Christianorum persecutor, vlceribus percussus est, quæ tantum fœtorem & vermium riuulos effundebant, vt fugientibus & famulis & medicis, in medijs fœtoribus animam efflauerit. Va- 7. lens Imperator Arrianus prælio victus, qui plurimos ante Christianos occidi iusserat: incensa hara in quam cõfugerat viuus exustus est: Par quasi omnium Imperatorum interitus, qui Ecclesiam Catholicam persecuti sunt.

12. Contra vero: Imperatores Catholici, quanto feruentius Ecclesiam Catholicam amplexi sunt, tanto diuinum auxilium abundantius perceperunt. Constantinus magnus, primus Imperator Catholicus, dum signum crucis, cui sũt adeo infesti Ministri, è cœlo suspensum gestat in vexillis cum hac inscriptione, IN HOC SIGNO VINCES, tres Imperatores

proſtrauit, Maximinum, Lucinum, & Maxentium: Sarmatas, Gallos, Barbaraſque plures nationes Catholicæ Eccleſiæ hoſtes ſubiugauit. Duo Theodoſij pater & filius, miris victorijs imperium decorarunt: nomẽque ſuum glorioſum reddiderunt. Heraclius ad extrema coactus, cum nec precibus, nec vllis conditionibus à Coſdroa Perſarũ rege pacem poſſet impetrare: ad Deum conuerſus, cauſæ ſuæ æquitati nixus, tribus continuis prælijs victum hoſtem in fugam egit: & qui tot Chriſtianorum milia martyrio affecit, à proprio filio fugiens occiſus eſt. Hac victoria Heraclius quæ vi Coſdroas rapuerat, omnia recuperauit: & crucem ſanctam in qua Chriſtus paſſus eſt redemit.

Iam de veſtræ ſectæ ſimiliumq; defenſoribus quid dicendum? certe non tã longe petita ſunt primordia, vt maior ſit in dinumerandis ponenda mora. Hoc ſciunt omnes: Lutherum qui nouam hanc doctrinam per Germaniam diſperſit: dum ſeruos contra dominos ad arma impie concitaſſet, & vno

præ-

prælio cẽtũ milia trucidatos vidiſſet, in hoſpitio publico Mansfeldiũ cogitantem vino & crapula ſepultũ interijſſe.

Ioannem Caluinum, qui nouis ſuis tragœdijs tot in Gallia luctus concitauit, diu multũq; cruciatum, pediculari morbo extinctum ſcribit is, qui diu eius ſectam ſecutus eſt : nec negat ipſe Beza in eius vita, & ante eiuſdẽ Commentaria in libros Ioſuë. Principes Galliæ, qui impijs Caluini opinionibus infecti hæreſim armis ſtabilire conati sũt, vel abiuratis erroribus in Eccleſiã Catholicam reuerſi ſunt: vel violenta fere omnes morte & immatura extincti.

Henricus VIII. Angliæ Rex, qui non tam iuſta vlla cauſa aut religione, quã concepto in ſummum Põtificem odio, propter latam in Catharinæ legitimæ vxoris fauorem ſententiam à fide Catholica deſciuit, & in Catholicos ſui regni ſæuiit, dubius & penè deſperatus obijt: ex ſex vxoribus quas ſibi matrimonio copularat, vna iam Elizabetha in Anglia regnans ſtirpem claudit: Gilfordius Dudley dux Northũbrię dũ

Mariam Angliæ reginam carcere inclusam è medio tollere cogitat, Elizabetham vti spuriam ab hæreditate arcere, ac filium suum regem cõstituere: & ad facinus perpetrandum valido circumseptus exercitu Londinum pergeret, captus est, & quas pœnas Catholicis minabatur, ipse capite luit.

Archiministri & hæresiarchæ nostri, Ioannes Knoxius, & Adamus Heriotus: ille Sacerdos, hic monachus, vterque Apostata: dirutis templis & altaribus, maxima plebis & nobiliũ parte in sectam suam traducta: Knoxius à Cacodæmone suffocatus interijsse dicitur. Heriotus, à præstito in domo ciuica Abirdonensi periurio, quo ipse sibi mortem imprecatus est, subitanea morte in platea publica rediens concidit. Authores vero qui armis nouas hasce opiniones in Scotiam aut in troduxerunt, aut introductas defenderũt: aut abiectis erroribus ad Catholicam fidem conuersi sunt: aut ea qui fatis functi sunt, morte perierunt, quam omnes norunt: & me commune patriæ nomen

men tacere iubet.

Ad populum Scoticum Epilogus.

AD extremũ ciues populareſq; mei, Vos ego per veſtram ſalutem oro, atq; per eam quam olim dediſtis Chriſto dexteram & fidem, per eiuſdem sãguinem, redemptionis noſtræ pretium obteſtor: Vt vos ipſi tandem excitetis, & quo temporum atque morum deueneritis, quo loco fides ſaluſque ſit veſtra cogitetis: quas in fraudes, in quæ mendacia, periuria, ſcelera vos Miniſtri adegerint ſtrenuè perpendatis. hos exiſtimabatis, credo, quæ diu in tenebris ante iacuerant, in lucem edituros: quæ hominum iniuria defluxerant, ſeuerioribus reſtauraturos legibus: Nil niſi cœlitus, & ex priſca veterum patrũ diſciplina hauſtum prolaturos. At tandem, & magno noſtrorum omnium malo, inſidiæ patent: & quod ipſi ab

initio fraudulenter cogitauerũt, vos ad extrema coacti præcipites ſentitis. & vtinam ita concipiatis ſalubriter, vt reformidãdum diuini tribunalis iudiciũ ſeuerius non ſentiatis. Sit impius quis inter Miniſtros, ſit ſacrilegus, ſit omnium ſcelerum colluuies, dummodo (reclamante licet conſcientia) ſe iuſtum & ſanctum credat, illico obſtupeſcunt omnes, & admirantur cœli diuinitatem noui anachoritæ: Ipſi omnem ſuam ſanctimoniam nullam eſſe cenſent, ſola imputatione externa aſſerentes & phantaſia quadã iudicandam: quos, D. Hilarij verbis, lib. 2. ad Conſt. de ſui temporis hęreticis licet cumpellare. *Tot vobis ſunt fides, quot voluntates: tot doctrinæ quot mores: dum aut ita vobis ſcribuntur vt viuitis: aut ita vt vultis intelliguntur.* Non dubito certe quin rex ipſe, & ſentiat, & cum dolore, ſentiat, quantam flammam, vel potius incendium per vniuerſum regnum inuexerint. perſpicaci enim ingenio natus, & ſumma prudentia princeps intelligit, commune patriæ malum, & miſeram cor-

corporum animorumque luem Miniſtrorum fraude conflatam, adeo increuiſſe, vt tanto malo continuô mederi nõ poſſit. Nec mirũ, ſi inter ipſos natus & educatus, eam quã cum nutricis lacte ſuxit ſententiam retineat, donec diuinæ lucis radius effulgens, denſam errorum caliginem diſcutiet.

Omnes certe boni ciues illum expectant diem, quo auitam illam religionem, quam tot longo ſeculorũ ordine maiores reges amplexi ſunt, intueatur: & diuina ſplendente luce, verum illum & antiquum Dei (à quo tot ante credentium regum laboribus & periculis imperium ſtabilitum eſt, tot deſtinatæ opes) cultum ſpectet. Quem ſi exulantem reduxerit, ſi vltro ſe offerentem non reiecerit: ſubditos quam primum efficiet vita ac moribus integros, fide ſynceros, amore erga ſe flagrantes, tam ad labores pro regia dignitate ferendos, & pericula ſubeunda infractos, quàm ſuperbiæ & timoris neſcios: qui omni errorum colluuione reiecta, & Miniſtrorum fraude

depulsa, regni Scotici splendorem & auitam gloriam longe lateque propagabunt: & Christianorum omnium regum ac Principum non modo socium & amicum, sed cunctis etiam hostibus inuictum & reformidandum efficient. & (quod primum, est) regum omnium & principum dominatori Deo Opt. Max. gratum & acceptum reddet.

Amen.

INDEX RERVM INSIGNIORVM HOC examine explicatarum.

ABſtinentia à cibis probatur, 58. 59.
Adæ peccato quid humano generi deperierit. 78.
Adæ peccato non perijt liberum hominis arbitrium. 75. 76.
Ædificiorũ sãctorũ reſtauratio apud Miniſtros ſtupẽda. 226.
Aërij hæreſis de ſacrificio corporis & ſanguinis domini. 149
Altare vti ſanctiſſimam Eccleſiæ partem Catholici veneratur. 177.
Altare cur θυσιαστήριον vocetur. 177.
Altarium conſecratio ſemper fuit vſitata in Eccleſia. 177. *idque authoritate patrum probatur, ibid.*
Angeli nos audiunt & iuuant, 158.
Angelos & sãctos eſſe inuocãdos probatur ex ſcripturis, 158.
Angli probant caput Eccleſiæ, 39.
Angli in ſummo Pontifice probant primatum, 39.
Angliæ regina ſe dicit caput Eccleſiæ, 39.
Antichriſtus naſcetur ex copulatione patris & matris, 52.
Antichriſtus quid ſignificet, 50.
& cur non poſſit eſſe Papa, 51.
Antichriſtus quandiu regnare debet, 51.
Apoſtolorum parem auctoritatem quomodo dicant doctores. 40. 41. 42.
Aquæ virtutes tributæ aliquid operandi. 196.
Aquam benedictam cur deteſtentur aduerſarij, eam eſſe licitam, & eiuſdem forma, 196. 197. *& ſequent.*
D. Auguſt. quoniam contra Pelagium eſt vehemens, qui minimum tribuebat libero arbitrio: ideo putant Caluiniani tollere liberum arbitrium, 74. 75.
D. Auguſt. vocatus malleus hæreticorum, 112.
D. Auguſtini ſententia de Antichriſto, 51.
BAptiſmus eſt inſtitutus à Chriſto, 98.

Baptiſmi neceſsitatem docuit Chriſtus, 98.
Baptiſmum eſſe infantibus neceſſarium probat diuus Auguſt. 100. 101.
Baronis de Seyfeild facete dictum. 20.
Benedictiones accipere ab Epiſcopo, vetus fuit Eccleſiæ mos, 203.
Benedictiones bonarum creaturarum deteſtantur Miniſtri quibus ipſi vtuntur, 202.
Berengarius Miniſtrorum confeſsionem de præſentia corporis domini in ſanctiſsimo Sacramento refellit, 129.
Bibliorum omnes editiones lingua Scotica & Anglica inter ſe ſunt diſcordes, 182 183.
Caluinianus nullum habet vocationis auctorem, 53.
Caluiniſtæ ſunt ſiguli religionum, 4.
Caluiniſtæ abſentes per famulos fidei confeſsionem ſignant 3.
Caluiniſtæ Papæ & Eccleſiæ auctoritatem ſemper timuerunt, 30.
Campanarum benedictiones licitæ & earum forma, 198. *& ſequent.*
Canonizatio quid, 154. *etiam inter Nouatores vſitata. ibid.*
Canticorum liber multis difficultatibus plenus, 184.
Caput Eccleſiæ cur negent Miniſtri eſſe viſibile, 30.
Caſtitas probanda, 58 99.
Catholici ſe eſſe in Eccleſia probant, 10.
Catholici, poſſeſsione, miraculorum teſtificatione, & omnium gentium conſenſu innituntur, 8.
Catholici contra conſcientias iurant in Confeſsionem Miniſtrorum, 231.
Catholicorum ſententia de peccato originis, 66.
Catholicos quid maxime in fide confirmet, 239.
Cephas quid, 35.
Cæremoniæ in Baptiſmo ex D. Auguſtino, 68.
Ceremoniæ quibus vtuntur Miniſtri non ſunt in ſcripturis expreſſæ, 113.
Ceremoniæ, quibus vtuntur Catholici in adminiſtratione Baptiſmi expreſſe ſunt à patribus probatæ, 219.
Ceremonias docuit ipſe Chriſtus, 218.
Ceremonias negare, eſt negare Scripturam, 218.

Ceremonijs vtuntur Miniſtri,219.
Ceremonijs vtuntur Miniſtri.113.
Ceremonialia veteris legis licet ceſſauerint non tamen ſunt prohibitæ omnes ceremoniæ, 218.
Ceremonialia veteris legis ceſſauerunt,136.
Certitudinis de ſalute ſigna vnde hauriantur,193.
Chriſtus inſtituit Petrum ſummum Sacerdotem,34.35.
Chriſtus voluit eſſe principatum in Eccleſia,36.
Chriſtus non venit abrogare legem,34.
Chriſti nomen eſt ab vnctione,102.
Chriſto multa pia tribuũt Catholici quæ Miniſtri adimũt, (64.
Chriſtianus cur vngatur,102.
Ciborum delectus cur probandus.59.
Concilia generalia ſemper colligi ſolita in Eccleſia,211. & *qui illis intereſſe ſoleant. ibid.*
Concupiſcentia cur remaneat poſt Baptiſmum,67.
Concupiſcẽtia remanẽs poſt Baptiſmũ cur nõ ſit peccatũ,68
Concupiſcentia remanens poſt Baptiſmũ cur vocetur peccatum ex D. Auguſt.70 & 71.
Concupiſcentia cur à D. Paulo vocetur peccatum,67.
Concupiſcentia quæ remanet poſt Baptiſmum in regeneratis ex ſententia Miniſtrorum eſt peccatum,65.
Confeſſio Miniſtrorum eſt deteſtatio,29. & *quare, ibidem.*
Confeſſio fidei Miniſtrorum conſarcinatio eſt iniuriarum, ex paucorum cerebro deducta,1.2.
Confeſſio Miniſtrorum ad ſingulos viritim educitur. eique fides extorquetur,2.
Confeſſio pœnitentibus neceſſaria,104.
Confeſſio publica inſtituta Edinburgi à Ioanne Knox magno Reipub. ſcandalo. 185.
Confeſſio ex veteri & Nouo teſtamento probatur,186. *Authoritate patrum*,186.187.
Confeſſionem deteſtati ſunt, Ioannes VViclef, Lutherus & Audiani,185.
Confeſſionem fuiſſe vtilem fatentur ipſi aduerſarij,188.
Confeſſionem oris cur Deus inſtituit,104.105.
Confirmatio affert ſanctificationem,102.
Confirmatio eſſe poteſt, & in bonis & in malis, ſed diuerſimode,101.

Confirmatio eſt à Chriſto inſtituta, 101.
Coniugij tres gradus, 205.
Coniurationes ſpirituum cur deteſtentur aduerſarij, 200.
Continentes plurimi & vixerunt, & nunc viuunt, 138.
Contritionis neceſſitas, 103, & 104.
Corpus Chriſti eſſe in ſanctiſſimo Sacramento nemo negare poteſt, qui vere confitetur Chriſtū paſsū fuiſſe. 131. & 132.
Credenda eſſe multa quæ non continentur in Bibliis. 62. 63.
Crux ex collo regis ſuſpenſa magorū veneficia diuertit, 169.
Crucis ſignatio probatur, 167. 168.
Crucis ſignatione conſecratur corpus dominicum, 168.
Dæmones mala orantes impetrant à Deo, 157.
Dæmones à longe audiunt & accurrunt, 157.
Dæmonibus concedūt Miniſtri, quæ Catholicis denegāt, 157
Dedicatio templorum fuit in veteri lege, 173. *probatur ex patribus*, 173. 174.
Deus eſt auctor peccati ex ſententia Caluinianorum, 66.
Deus non eſt auctor peccati ex Auguſt. 73.
Diſpenſationes Papæ quæ, 134.
Doctrina Miniſtrorum vnde orta, 234.
Doctrina Miniſtrorum cum Catholica confertur, 223.
Eccleſia Miniſtrorum quomodo dicatur reformata, 221.
Eccleſia quomodo dicatur ſupra Petram fundata, 35.
Eccleſiæ notæ nullæ præter Romanam poſſunt conuenire, 10.
Eccleſiæ notam dicunt Miniſtri regnorum conſenſionem, 12. *refutatur*. 13. 14.
Eccleſiæ poteſtas quæ, 33.
Eccleſiæ auctoritas ſemper torſit hæreticos, 30.
Eccleſiæ maxime proprium eſt iudicium de fide, 17.
Eccleſiæ nullæ ſunt, ſi vnica non eſt, 17.
Eccleſiæ fundamentum eſt Chriſtus, 35.
Eccleſiam eſſe viſibilem probatur, 31.
Eccleſiam cur dicant Miniſtri fuiſſe inuiſibilem, 30.
Eccleſiam eſſe vnam credunt Catholici, 16.
Eccleſiæ quomodo dicantur plures, 16. 17.
Eccleſiæ multæ ſunt ex ſententia Miniſtrorum, 16.
Eccleſiarum quomodo dicantur plura capita, 42. 43.
Eccleſias omnes amittit qui vnam non tenet, 17.
Epiſcopi tantum per manus impoſitionem dant Spiritum ſanctum

ſanctum, 102.
Errores Miniſtrorum in quo maxime fundentur, 31.
Euchariſtia cum Chriſto quodamm. odo coniuncti creſcimus. 189.
Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum, 108.
Euangelium ſcribere non eſt præceptum Apoſtolis, ſed predicare, 221.
Exorciſmorum commoda, 68.
Exorciſmis & coniurationibus pelli Dæmones probatur ex hiſtoria recenti in Gallia Bellica, 200. 201.
Exorciſtam cur negauit Caluinus, 143.
Extrema vnctio vocatur Sacramentum à patribus, 112.
Extremæ vnctionis Sacramentũ à Chriſto eſt inſtitutũ, 111.

Feſta dũ deteſtãtur Miniſtri sũt in Chriſtũ iniurioſi, 180.
Feſtorum obſeruationẽ cũ deteſtantur Miniſtri conſentiunt cum Manichæis, 179.
Feſtorum inſtitutio licita: idque auctoritate ſcripturæ & patrum probatur, 178.
Fides quid apud Catholicos, 191.
Fides eſt fundamentum iuſtificationis noſtræ, 17.
Fides Miniſtris abneganda ex ipſorum verbis, 26.
Fides Catholica licet ſit generalis, vt aſſentiatur omnibus à Deo reuelatis, non eſt tamen dubia aut deſperatiſſimo potius fides ſpecialis Nonatorum, 192.
Fides quomodo probanda, 19.
Fides eſt vnica, 17.
Fidei confeſſio eſt actio ſingularis, 28.
Fidei arbitrium Miniſtri committunt laicis, 18.
Fidei confeßio qualis eſſe debet ex D. Paulo, 5.
Fide cum dicimus purificari corda, hominem iuſtificari, &c. quomodo intelligendum, 192.
Figura corporis Chriſti dici non poteſt eße in Sacramento, 131.
Filij ex repudiata nati ſunt ſpurij, 138.
Filios Caluiniſtarum contrahere peccatum originis ex diuo Auguſt. 72.
Flagellare eſt corpus animi imperio ſubdere, 189.
Flagellationem ferre non poſſunt Miniſtri. & ideo deteſtãtur, 189.

Fœnus

Fœnus exercent familiariter Miniſtri, 226.
Forbeſij domini faceta reſponſio deſignatura confeßionis fidei, 4.

GRadus quidam conſanguinitatis prohibiti iure canonico, & etiã ciuili, 136 probatur ex D. *Aug.* ib, & 137

HÆreſes vnde ortæ, 18.
Hæretici omnes ſpiritum Dei inclamitant, 7.
Hæretici omnes verbum Dei & Spiritum ſanctũ ſibi vendicauerunt, 6.
Hæretici cur dicendi 7.
Helcheſitarum hæreſis de confeßione fidei, 231.
Hierarchiam Eccleſia cur negant nonatores, 55. & *quid ſit hierarchia*, ibid.
Homo peccat neceſſario ex ſententia Miniſtrorum: & quare, 65.
Homo quo modo ſalutem operetur per liberum arbitrium, 195.
Homo quomodo dicatur certus de ſua inſtitia, 192 193.
Homo ſecundum Miniſtros non poteſt ſeruare legem Dei, 65.

IEiunia *Miniſtrorum indicuntur in Dominica*, 224.
Imagines quomodo prohibeantur, 165.
Imagines à Catholicis adorari perperam docent Miniſtri, 164 & *quomodo eas venerari debeant*, 165.
Imaginum triplex vſus, quorum vnus tantum eſt prohibitus, 165.
Imaginum abuſum non vſum eſſe tollendum docetur faceto exemplo, 165.
Imaginum veneratio probatur auctoritate patrum, 166. 167.
Indulgentiæ quid, & earum vſus, 191.
Infantes ſine Baptiſmo morientes non puniuntur pœna ſenſus, 99.
Infantes ex fidelibus natos diuus Paulus quomodo mundos vocet 72.
Infantes naſci cum peccato originis docet diuus Aug 99. 100.
Infantes tantum ſunt à pœnitentia immunes, 102. & *quare*, 103.
Infantes cur exorcizantur & exſufflantur, 68.

*Iniquitatis punitio, quæ Miniſtris familiaris,*236.
*Ioannes Vinremus Monachus,*20.
*Ioannes Foxius etiam furem canonizauit,*155.
*Ioannes Knoxius ad triremes condemnatus,*20.
*Ioannis Napeir expoſitio in Apocalypſin,*55.56.
*Iob liberos patris victima liberauit,*148.
*Iuramentum eſſe debet de rebus licitis,*229.
*Iuramentorum quædam nefariæ diſpenſationes apud Miniſtros,*135.
*Iuramentorum diſpenſationes quomodo inter Catholicos, & cur introductæ,*135.
*Iuſtificatio quæ tribuenda operibus,*95.
*Iuſtificatio quomodo tribuitur fidei, ſpei, charitati, timori, &c.*93.95.
*Iuſtificationis incertitudo docetur ex ſcripturis,*193.194.
*Iuſtificationem ex ſola fide non reperient Nouatores ex ſcripturis,*194.
*Iuſtificationem quomodo vocent ſcripturæ certam,*194.
*In iuſtificatione impij Deus gratia præuenit,*195.
*de Iuſtificatione Catholicorum doctrina,*93.94.
Inſufflationibus vtuntur Epiſcopi, ad imitationem Chriſti, 219.
*Iuſtitiam contemnunt Miniſtri dum tueri ſe fingunt,*236.

LEges Papæ eſſe contra officium Chriſti aſſerunt Miniſtri vt populum contra Papam concitent,63.
*Leges Pontificias dicunt Miniſtri tyrannicas: ſed probare nõ poſſunt,*57. *& quas vocent tyrannicas,*57.
*Libertas quæ per Adamum deperdita,*75.
*Liberum arbitrium ſemper tendit ad bonum,*79.
*Liberum arbitrium aſtruitur ex D. Auguſtino,*74.75.
*Liberum arbitrium quid ex ſententia Catholicorum,*77.
*Liberum arbitrium non pugnat cum præſcientia Dei,*79.
*Liberum arbitrium cur tollant Miniſtri,*66.
*Liberum arbitrium quo modo ſtatuant Catholici,*66.
*Liberum arbitrium ex ſe nec eſt virtus nec vitium,*77.
*Liberi arbitrij vſus, & de eodem beluina Caluiniſtarum ſententia,*195.
*Lingua latina qua oratur in Eccleſia & pſallitur non eſt peregrina,*283.

Lingua vulgari non potest seruari vnitas inter ipsos Nouatores, 184.
Litaniæ probantur testimonio patrum, 161.
Lutherus condemnat opinionem Ministrorum de præsentia corporis dominici, 129.
Lutherus vocat Epistolam D. Iacobi stramineam, 64.
Lutherani retinent vsum imaginum, 166.

Magia Ministris familiaris, 225.
Magi & venefici crucis signum perhorrescunt, 169.
Mandata Dei non esse seruatu impossibilia, 72. 73.
Mãdata Dei sunt impossibilia ex sententia Caluinianorũ, 65.
Manichæorum hæresis de solemnitate dierum festorum, 179.
Martyrum templa conspicua, 171.
Martyrum sepulchra veneranda, 172.
Martyrum reliquiæ cur sub altari ponantur, ex D. Hieronymo, 147.
Matrimonium non dissoluitur propter sterilitatem. 110.
Matrimonium esse Sacramentum, 108.
Matrimonium confert gratiam & sanctificationem, 108.
Matrimonium non dissolui, etiam facta propter fornicationem separatione ex D. August. 109. 111.
Matrimonium est indissolubile quoad vinculum, 108.
Matrimonij tria sunt propria. 110.
Matrimonij Sacramentum est institutum à Christo, 108.
Mediatores quo modo inter Catholicos plures dicantur, & quo modo vnus tantum, 163. & 164.
Mediatores inter Deum & homines Nouatores ridicule detestantur, 135.
Mendacium Ministrorum, 20.
Merita bonorum operum probantur ex scripturis, 190.
Ministri Scoti inter se caput & Pontificem statuunt & quomodo, 40.
Ministri cum Pelagianis docent natos ex sua secta parentibus non contrahere peccatum originis, 65.
Ministri Scoti sub specie examinationis conscientiarum conantur in errorem inducere credulos. 5.
Ministri sunt multi exiguæ literaturæ, 184.
Ministri ceremonijs infesti, tamen ceremonijs vtuntur, 113.
Ministri Scoti retinent parrochiarum dominia à pontifice cõstituta

ſtituta,40.
Miniſtri multa docent, & credunt quæ non ſunt in Bibliis, 62.
Miniſtri ne à regibus quidem manus coërcent,13.
Miniſtri vt fucum faciant confeſſionis ſuæ veritatem aſſeuerant per Spiritum & verbum Dei,6.
Miniſtri nuſquam explicant quænam ſit fides quam profitẽtur,28.
Miniſtri pro arbitrio decurtant Biblia,63.
Miniſtri Scoti nullo argumento vendicant ſibi ſpiritum Dei,8.
Miniſtri ſemper inter ſe diſcordes,2.
Miniſtri leges Pontificijs ſimiles probant, 57. & quid inter vtr.uſque leges interſit,58.
Miniſtri cum Iudæis ſentiunt de Corpore & ſanguine Chriſti,99.
Miniſtri pugnant contra ſcripturas,92.
Miniſtri duabus de cauſis cogunt Catholicos iurare in confeſſionem Caluinianam,232.
Miniſtri de Baptiſmo ſentiunt cum Nicodemo,99.
Miniſtri in materia iuſtificationis incidunt in hæreſim Eunomij,94.
Miniſtrorum in confeſſione fidei contradictio,23.
Miniſtrorum arrogantia in ſcripturis immutandis,92.
Miniſtrorum primi Apoſtoli,19.
Miniſtrorum odium in leges Pontificias,57.
Miniſtrorum error in limine ſuæ confeſſionis fidei,28.
Miniſtrorum doctrinam de diuortio auerſantur etiam ipſorum ſectarij,139.
Miniſtrorum doctrina in ſola Scotia & ea diſcorde ſuſcipitur,239.
Miniſtrorum congregatio eſt in multas ſectas diuiſa, 238.
Miniſtrorum obſeruantia erga regem conſpiratione patefacta,234.
Miniſtrorum confeſſio quam horrenda,233. {62.
Miniſtrorũ ſtatuta etiam tus Pontificiũ granditate excedũt,
Miniſtris ex ipſorum verbis adimitur fides,22.
Miniſtris mutuis conſilijs cum regina Angliæ concurrere dicuntur,235.

Miniſtros carpit D. Auguſt. dum conuitia contra Rom. Eccleſiam euomunt, 46. (65.
Miniſtros pudet doctrinam ſuam de peccato originis proferre,
Miſſa apud Catholicos quid vocetur, 115.
Miſſa à Chriſto inſtituta, 115.
Moderator in congregationibus Miniſtrorum, 40.
Monachi cur hæreticis diſpliceant, ex D. Auguſt. 209.
Monachæ ab Abatiſſa tonſæ, 111.
Monaſteria in Scotia ſplendidiſſima, 227.
Monaſteriorum ruina, regi, & regno plurimum obfuit, 228.
Mores Miniſtrorum cum Catholicorum moribus comparantur, 224.
Mors eſt effectus peccati, 68.
Mortuorum ſpiritus multa præſciunt, 159.

Nobilium in Scotia luctuoſa conditio, 217.
Notæ Eccleſiæ non conueniunt Miniſtris, 238.

Obedientia omni Reip. ſtatui neceſſaria, quam ſalutem Reip. vocant Philoſophi, 207.
Obedientia habet præceptum & præmium in ſcripturis, 207.
Obſcuritas ſcripturarum ex multis eiuſdem locis oſtenditur, 183.
Officio Chriſti plura tribuunt Catholici quàm Miniſtri, 63.
Opera ſupererogationis quæ vocent Catholici, 189.
Opera omnia Deo grata ſunt eiuſdem dona, 194.
Operibus tantum eſſe contentos Catholicos ad ſalutem mentiuntur Miniſtri, 194.
Opus operatum quid vocent Catholici, 189.
Orandi forma lingua latina duabus de cauſis eſt inſtituta in Eccleſia, 181. 182.
Orandi forma, lingua patria, non eſt vetita in Eccleſia Catholica vt calumniantur Miniſtri, 181.
Ordinis Sacramentum ad ius Eccleſiaſticum pertinet, 107.
Ordinis Sacramentum eſt inſtitutum à Chriſto, 106. idque in vltima cœna, ibid.
Ordinis manet character, 107.
Ordinem eſſe Sacramentum ex D. Auguſtino, 106.
Ordines omnes ſingulatim probantur authoritate patrum, 144. 145.
Ordines ſex agnouit Caluinus, & quo modo, 143.

Ordines per Apoſtolos à Chriſto inſtituti in Eccleſia,143.
Ordines in Eccleſia ſeptem,143.
Originale peccatum probatur ex D. Auguſt. ibid.
PApa nõ concedit diſpenſationẽ decipiendi hæreticos,231.
Papa non poteſt facere nouũ fidei articulũ, quãuis poſſit explicare,ea eſſe fide credenda,quæ prius non erant,61.
Papæ auctoritas ſemper fuit hæreticis infeſta,30.
Papæ auctoritas in ſcripturas,53.
Papam non eſſe Antichriſtum,50.
Paſtoris officium Petro conceſſum,noluit Chriſtus cum Petro interire,42.43.
Paupertas via dicitur compendioſa in cælum,207.
Paupertas habet præmium in ſcriptura,208.
Peccato Adæ ſpoliata eſt poſteritas gratuitis hominem inſtum, ſanctum & rectum facientibus,78.
Pelagius docuit infantes naſci ſine peccato originis,99.
Pelagius plus æquo tribuit libero arbitrio,66.
Pepuziani ordines negauerunt,143.
Peregrinatio probatur auctoritate ſcripturæ,162.& patrum ibid.& 163.
Perſecutores Catholicorum horrenda Dei iudicio puniti, 240.
Petrus cur vocatus Cephas,35.
Petrus cur primus Apoſtolorum peccauit,39.
Petri poteſtatem explicant doctores,40.41.
Petro datus eſt primatus per trinam inter rogationem,36.37. idem probatur,37 38.
Petro quæ volvit Chriſtus eſſe particularia,ea expreſſit, 41.42.
Petro conceſſa poteſtas ad ſucceſſores manauit,43.
Petro in quibus par poteſtas cum cæteris Apoſtolis,41.
Petrum fuiſſe Romæ probatur ex hiſtoriis,47.ex doctoribus, 47.48.
Petrum negant Miniſtri Romæ fuiſſe, & primatum tenuiſſe 30 id refellitur,31.32.
Pœna boni viri grauiſſima,21.22. eam Catholicis infligunt Miniſtri,22.
Pœna eſt productior quam culpa,106.
Pœnitentia eſt ſecunda tabula poſt naufragium.188.

Pœnitentia Catholicorum vocatur à Nouatoribus desperata propter odium in summum Pontificem,188.
Pœnitentia vocatur à patribus Sacramentum,103.
Pœnitentiæ tres partes,103.
Pœnitentiæ necessitas ex D. August.102.
Pœnitentiæ necessitas, & eius tres esse partes,188.
Pœnitentiæ cum Baptismo & confirmatione cõparatio,188.
Pœnitentiæ Sacramentum institutum est à Christo,102.
Pontifex habet vtrumque gladium,54.
Pontifex potest ouem morbidam expellere ex grege,55.
Pontificis auctoritas in hominum conscientias,53.
Pontificis auctoritatem quomodo probent Ministri esse vsurpatam,30.
Pontificis auctoritas in Principes, & Magistratũ ciuilem,55
Pontificis Manarchica potestas.54.
Pontifici cur primatũ inuideant Ministri causa duplex, 40.
Pontifices summi apud omnes gentes, 34.
Pontificum successio,44.
Præscientia Dei non necessitat,80.
Presbyteria Ministrorum Scotiæ,40.
Principatus tam in cœlo quàm in terra sunt à Deo constituti,36
Principes omnes Christianos crudeles vocant Ministri & sanguinolentos,215.
Purgatorium probatur ex scriptura,150 151. ex Patribus, Latinis,152. & Græcis,153.
in Purgatorio iuuantur animæ fidelium, eleemosinis sacrificijs, &c.153.
Rasura in modum sphæræ,210.
Rasuram ante tempora D. Augustini fuisse, cõtra Caluini mendacium,210.
Rationes Ministrorum & Catholicorum in summam coactæ, 236.237.
Realis præsentia corporis Christi eo modo negatur à Ministris, quo & à Iudæis,133.
Realem præsentiam corporis dominici, qui negare possunt ex D. August.133.
Reformatio Ministrorum in tribus est posita,223.
Regna quæ cum Caluinistis consentiant,12.13.

Regna omnia pro Catholicis ſtant, exceptis Scotia, Dania & Anglia, 15.
Religionem ad cuiuſque de populo arbitrium ducere captiuã eſt ſacrilegum, 4.
Reliquiæ venerandæ etiam iure ciuili. 173.
Reliquiarum adoratio probatur ex ſcriptura, 170. *& patribus, ibid.*
Repudium cur tam facile concedant Miniſtri, 138.
Repudiata non poteſt viuo marito alteri nubere, 137.
Robertus Rollocus habitus eſt Miniſtrorum modeſtiſſimus, 95.
Roberti Rolloci mendacia in materia liberi arbitrij contra Catholicos efficta, 81. *& ſequentib.*
Roberti Rolloci mendacia cur hic ſint inſerta, 77.
Sacerdotem eſſe in Eccleſia probatur, ex ſcriptura, 140.
Sacerdotes plures eſſe in Eccleſia, non detrahit quicquam Sacerdotio Chriſti, 141.
Sacerdotes impoſitione manuum quam auctoritatem accipiant, 41.
Sacerdotum omnium non eſt eadem poteſtas iuriſdictionis, 41.
Sacerdotium à Chriſto inſtitutum agnouerunt omnes patres, 141. 142.
Sacerdotum in conſcientias hominum auctoritas, 54.
Sacramenta ſunt vaſa quibus Deus gratiam infundit animabus, 96.
Sacramenta omnia in effectu tolluntur à Miniſtris: licet duo nomine tenùs retineantur. 96.
Sacramenta non ſunt eadem veteris & Noui teſtamenti, 97. 98.
Sacramenta poßunt adminiſtrari per malos homines, 111.
Sacramenta ex ſententia Catholicorum ſunt ſeptem, 96.
Sacramentorum virtus ex D Auguſt. 97.
Sacrificium ſemper fuiſſe in Eccleſia ex DD. Cypriano & Auguſtino probatur, 114.
Sacrificium omnis religio adhibuit, 139.
Sacrificium ab omnibus gentibus fuit ſuſceptum, 139.
Sacrificium corporis domini eße defunctis vtile, probatur teſtimonio patrum, 147. 148.
Sacrificium ſoli Deo debetur, 146.

Sacrificium Catholicorum Christus instituit in extrema cœna, 146. *esse illud viuis & defunctis salutare probatur*, 246. 147. *& sequen.*

Sancti sunt de nobis solliciti, 160.

Sancti multa quæ hic fiunt cognoscunt, 189.

Sanctorum natalitia celebranda, 158.

Sanctos quomodo inuocent Catholici, 156.

Satisfactio tertiæ pars pœnitentiæ, 105. *& quàm necessaria, ibid. &* 106.

Scotia Monasteriorum diligentissima fundatrix, 227.

Scotia semper caruit hæresi, vsque ad nos, 227.

Scripturæ varij sensus in Ecclesia Catholica, 218.

Scripturæ sine sensu mystico intelligi non possunt, 217.

Scripturæ verus sensus est mysticus, 218.

Scripturarum verus sensus ab Ecclesia & summo Pontifice petendus, 53.

Scripturarum vnde sumenda veritas, 27.

Sectæ omnes in Catholicam Ecclesiam conspirant, 156.

Spiritus sanctus esse non potest apud Ministros, 24. *& quære*, 25.

Spiritus sanctus solis Ecclesijs promissus, 7. 8.

Superstitiones falso improperant Catholicis Ministri, 203.

Templa quomodo sanctis ædificent Catholici, 175. *& de eisdem Catholicorum doctrina ex D. Aug.* 176.

Tonsura ab Apostolis instituta, 210.

Traditiones probat D. Augustt, 221. 222.

Traditiones sunt probatæ ex Euangelio, 220.

Transsubstantiatio quomodo in scriptura reperiatur, 130.

Transsubstantiatio probatur testimonio omnium patrum, 132. 133.

Transsubstantiatio ridiculè à Ministris oppugnatur, 130.

Transsubstantiatio probatur authoritate Euangelij, 116. *Conciliorum, ibid D. Ambrosij* 117. *D. Augustini*, 119. *D. Cypriani* 123. *D Hilarij*, 124. *D. Chrysostomi*, 125. *D. Cyrill. Hierosolymitani*, 127. *Cyrilli Alexandrini*, 128.

Tridentina Synodus 225. *patrum, & eius doctissima decreta* 212. *Nihil de bello & sanguine fuit in ea tractatum*, 213. *& facultas adeundi eandem facta hæreticis, ibid. Eius canones multi etiam hæreticis grati*, 214. *quo modo*

fuit Synodus inſtituta, 215.
Tridentini conſilij patres & decreta, cum Miniſtris & ipſorum doctrina conferenda, 216.
Trinitas vox non reperitur in ſcripturis, 130.
VErbum Dei quod iactant Miniſtri quàm ridiculum, 23.24.
Verbum Dei quomodo apud Miniſtros dicitur reuelatum, 9.
Verbum Dei eſſe dicunt ſunm Catholici, quia ſunt in Eccleſia, 10.
Verbum Dei aliud ſcriptum, aliud non ſcriptum ex propr̃is hæreticorum dogmatibus, 25.
Veritas fidei Miniſtrorum vno tantum pede conſiſtit, 22.
Vigilantij hæreſis à Caluino excitata, 160.
Virgines velatæ fuerunt tempore Apoſtolorum, 205.
Virginitatis votum probatur authoritate ſcripturæ, & patrum, 205.
Virginitati cur ſint infeſti Miniſtri, 206.
Vltionis horrendum exemplum, 233.
Vnctio pertinet ad omnes Chriſtianos, 202.
Vnctionum vſus, fructus, & finis, 201.202.
Chriſti nomen ab vnctione, 202.
Voluntas quid ex D. Auguſt. 76.
Votum eſt cultus latriæ, 177.
Voti materia frequenter eſt circa creaturas, 177.
Vota fiebant tempore Apoſtolorum, 209.
Vota ſolemnia ſunt tria, & ab eis cur abhorreant Miniſtri cauſa potiſſima, 204. fuiſſe ſemper in Eccleſia, ibid.
Vota fuiſſe ſemper licita nemo negare poteſt, 204. idque probatur ex ſcripturis, ibidem.

Errata quædam insigniora, quæ operarum incuria irrepserunt, sic corrige.

Pap.19.l.19.leg.Ioannem.ibid.l.20 leg.Vinremum.p 20. l.6.leg. Seyfeild. ibid.leg.Vinreme.p.23.l.8. l.de vera. p. 24. lin. 2. non verbis,l.non vobis.p.32.l.14.leg.annunciauerit ibid l.17 leg. catechumenis p.34.l.11 leg.habebat pag.40.lin. vlt. leg. hoc falsi. p.42.l.6.leg.eum certo quodam.p.43.l.25 leg.Felicem Grammaticum. p. 40.lin 4.leg. illic renascitur.ibid lin.24 leg scelerum. p.44.lin.14.leg ad expugnandam pag. 65 l.22 leg.inuitans hominem.p.67.l,19.leg.sic scribit.p.92 lin.11.l ita in hac materia.p. 93.lin.11.leg.ex sola fide.p.104 lin 10. leg. 50. homiliarum, homil.12 pag.109 lege,moechatur,ibid.lin.8.leg.ex Matthæo.pag. 110.lin.6.leg.vinculum pa 111.lin 16.leg occurrerit.p.113. lin 10. leg agnosco.pag.114.lin.10.leg.receptioneque pag.123 lin.8.leg. Spirituum.pag.126.lin.25.leg.per quam.pag.127.lin. 11. leg.existimabimus.ibid.lin.19.leg.panis.pag.128.lin. 19. leg.sic qui. pa. 129.lin. 18. leg eandem p.135.l.25.l.detestamur.p 138. l. 2.l.ex animi.p.141.lin 9.l.2.ad Timot.1.p.142.lin.26.l.cessasse p.144.l.2. l.Epistola.p.145.l.14.Ecclesia.p.148.l.7. l.altari assistit. ibid. l. 11. leg.fierent.ibid.l 17.leg.quiddam p 149.l.4.leg. autoritas. ibid. lin.10.l.offerre p.151.l.21.l sedenti.p.159.l.24 l.viuerent.ibid.lin. vlt.dele ad p.160 l.1.l.modos.p.163.l.8.l.occursus.ibid.22. l. supplex p.164.l.2.l.sic.ibid.l.8.sic.ibid.l.13.l.disce.p.166.l.1.l.abusus. ibid.l.12.l.Basil.mag.p.167.l.13.l.signationem.p.170.l. 6.l.prostituunt p.171.l 4.l.aut.p. 172.l.21.l.suscipit.p.174.l.16. l ænzenia. p.177.l.11.l.virtus p.178.l.6.l.vouit.ibid l 15.l.ascensionis. p.179. l.13.l.Adimantium,& iterum.l.17.pag.180 l 6 l significātur ibid. lin.12.adde:Christum,& eius sanctos,qui dies festos eorum. pag. 181.l.14.l.offeruntur p.183.l.21.l.hinnuli.p.185.l.18.l.scitis. p.186. l.19.l.effugere.p.187.l.17.l.Ioannis.p 188.l.vlt.l.naufragium.pag. 192.l.21.l.specialis.p.203.l.6.l.ab Episcopo pag.199. l. 2.l.præsta. p.210.l.3.l.& Aquila.p.216.l 22.l.crudeles.p.223.lin.14.l.& festos. p.227.l.13.le.Codingamium.ibid.l.15.l Hadinctonium. ibid.l.22. l.Dumfarmlingum.ibid.l.25.l.Sconam.ibid.l.Lendorcium. ibid. l.Inchefrum. pag.235.l.6.l.comitis.ibid. l. 9. l. incolumem. pag. 236.l.cadant.